

Seyfried Rybisch (1530-1584)

Itinerarium

texte latin établi par Jean Hiernard

Le récit des voyages (*Reisenotizen*) de Seyfried Rybisch nous a été transmis par trois manuscrits, l'un complet, deux autres partiels – deux conservés, un autre perdu.

Le manuscrit le plus complet (A), autrefois conservé à la Bibliothèque municipale de Breslau (*Breslauer Stadtbibliothek*, provenant de la *Maria Magdalenen-Bibliothek*), fait partie, depuis 1945, du fonds de la Bibliothèque universitaire (Biblioteka Uniwersytecka) de Wrocław, sous la cote inchangée M 1375, et le titre *Itinerarium* (f. 1r-146v). Nous en avons obtenu un microfilm. Pour Foerster, ce manuscrit, “comme le montre sa ponctuation absurde”, ne serait pas un autographe de Seyfried, mais une copie. Il a dû servir, selon lui, de modèle aux deux autres manuscrits.

L'un d'eux (B), peut-être écrit par Nicolas Henel (*sic* Foerster 1907, p. 218, n. 1)¹, se trouve encore également à la Bibliothèque Universitaire de Wrocław sous la cote R 2174 (anc. Bibliothèque municipale de Breslau), et sous le titre *Iter ex Vienna Venetias* (f. 1r-137r). Nous l'avons également étudié sur microfilm. Codex de papier, 20,5 x 15 cm.

Le troisième est perdu. Autrefois conservé à la *Hochbergsche Majoratsbibliothek* de Fürstenstein (auj. Książ), sous le titre *Itinerarium Italicum Siegfried Rybisch, Kayserl. Rath und Camer. Assessor in Schlesien nat. Breslau, d. 13. September 1530, † d. 17. August 1584* (cote 2° 8.9055./II/XVIII/14.), il s'achevait à l'arrivée de Rybisch à Rome, le 3 septembre 1554 (la suite, f. 369r, était constituée par une suite d'indications de distances). Il faisait partie (f. 8 = f. 298r-368v) d'un ensemble comprenant aussi une *Cronica der Fürsten von Polen und Schlesie*. Il avait appartenu, d'après la suscription qui y figurait, datée de 1560, à Daniel Rappold, juriconsulte, *bischöflicher Rat* et *Stifts-Syndikus* de Breslau († 5 mars 1588), et fut acquis (cf. l'ex-libris *Joannis Caroli Roppian d. 10 Martii 1799*) par Johann Karl Roppian († 20 avril 1804). Le Dr. Andrzej Ładomirski, directeur de la Biblioteka Uniwersytecka de Wrocław, m'a signalé (lettres des 23 mars et 20 juin 2000) que ce manuscrit ne semblait pas avoir figuré dans le fonds de Fürstenstein récupéré par la Bibliothèque universitaire de Wrocław après 1945. Il

1 Nicolas Henel von Hennenfeld (1582-1656), auteur d'une *Silesiographia* (1613) et d'une *Breslographia* (1613). On lui doit aussi une *Silesia Togata* (manuscrite), composée de plus de 600 biographies d'humanistes et d'aristocrates silésiens. Sur ses études en Italie : Zonta 2004, p. 219, n° 515.

ne se serait pas agi non plus d'un autographe de Seyfried Rybisch, selon Markgraf (éd.) 1877, VII et XII.

Sur ces manuscrits : Foerster 1907, 217, n. 2 ; 218, n. 1-2 ; 221, n. 1 ; 222, n. 2 ; 223, n. 2-3 ; et Foerster 1907a, 107, n. 4.

BIBLIOTHEQUE UNIVERSITAIRE DE WROCLAW, manuscrits M 1375 et R 2174

Avertissement : le foliotage est celui du manuscrit le plus complet, M 1375 (A). À partir de l'arrivée de Rybisch à Vienne (Autriche) (f. 41r), on a amendé le texte de A à l'aide du texte de B (R 2174) chaque fois qu'il fournissait une meilleure version. Les erreurs manifestes présentes dans les deux manuscrits disponibles ont été en outre corrigées, les deux leçons figurant alors ensemble dans les notes. On a utilisé des caractères gras pour transcrire les *marginalia*. Enfin, dans toute la mesure du possible, les abréviations ont été systématiquement développées et on s'est efforcé de rationaliser majuscules et ponctuation.

Nous avons remplacé les i consonnes par des j, les u consonnes par des v. Les fautes du manuscrit sont indiquées entre parenthèses, précédées de *ms*. En outre, nous avons remplacé les t par des c, et vice versa, dans les cas suivants : *diviciis* = *divitiis* ; *excaetatis* = *excaecatis* ; *ocia* = *otia* ; *patritiorum* = *patriciorum* ; *praetiosissimis* = *praeciosissimis* ; *sotio* = *socio* ; *sotium* = *socium*, etc.

La division en cinq parties (I-V) est de notre fait.

[1r] Parens meus charissimus piæ memoriæ, a Gordelitio urbe Lusatorum celeberrima, quo ob gravem in patria Vratislaviana nempe urbe anno (nisi fallor) a nativitate [*in marg.* : **annus Domini 1540, 1541**] Domini nostri Jesu Christi MDXL vel XLI pestilentiae morbum grassantem, cum noverca totaque familia se contulerat, anno revoluto, cum tabes illa a saevitia aliquantum remississet, domum cum reliqua familia rediit.

Erat tum Gordelitii [*in marg.* : **Gordelitium**] vir cum latinis tum graecis literis doctissimus reipublicæ ejusdem urbis physicus ac medicus, nomine Joannes Trogerus, in cujus disciplinam pater (piæ memoriæ) me tradens, domum, ut jam dictum, reversus est.

Ego interim, cum apud eum et latinis et graecis literis operam navarem, non longo post tempore pater mihi charissimus, sic fatis volentibus, ex hac vita discessit, cum tribus vix horis ante obitum ejus Vratislaviam cum præceptore meo (qui a Senatu Gordelicensi, in auxilium parentis si quod superiret [1v] transmissus erat) advenissem. Maximi enim semper ab his populis ei honores deferebantur, ob privilegia quadam a Ferdinando rege ab eo impetrata, tanquam parentem [*in marg.* : **annus Domini 1544**] coluere.

Omni autem humana ope ex voluntate divina destitutus, anno Domini 1544, Novembri mense, sexagenarius jam, fatis concessit.

Constitutis antea mihi tutoribus Domino Sigismundo Pucher et Domino Friderico [*in marg.* : **annus Domini 1545**] Gutteter, ex quorum voluntate cum præceptore prædicto Gordelitium redii. Apud quem, ad annum nativitatis Domini usque 1545 literis incumbens,

jussu et consilio ejus, a tutoribus studiorum prosequendorum causa Argentinam Alsatiæ ad Rhenum metropolim, missus sum.

Erat tum ea omnium scholarum Germaniæ famosissima, viris enim cum græcæ tum latinæ doctissimis abundans, ob doctrinam præcipue Domini Joannis Sturmii oratoris scholarium discipulorumque audientium eum refertissima conspiciebatur. Missus itaque cum mercatoribus Gordelicensibus, qui nundinas annuales Francofordenses petere mercimoniorum causa consuevissent, cum illis per Lipsiam Misniæ [*in marg.* : **Lipsia**] urbem celeberrimam, elegantia ædificiorum decoratam, academia percelebri famosam, Erfordiam [*in marg.* : **Erfordia**] civitatem Germaniæ amplissimam, Thuringorum metropolim, perque Cattorum Hassorumque regionem iter facientes, Francofurtum ad Mœnum [*in marg.* : **Francofurtum**], Germaniæ [2r] famosissimam urbem, appulimus. Ubi aliquot diebus exitum nundinarum expectans, a mercatoribus nostratibus, qui mei tunc curam susceperant, Prechteris mercatoribus Argentoratensibus commendatus fui (agebam tum annum ætatis decimum quintum, mense enim Septembri anno Domini trigesimo natus, eodem mense Francofurtum advenimus). Cum quibus Argentinam usque curru vectus, paucis post diebus Moguntiam, Wormatiam Vangionum [*in marg.* : **Moguntia, Wormatia**] Spiramque Nemetorum urbem transeuntes, salvi incolumesque eo venimus .

A Prechteris itaque Domino Martino Bucero theologo commendatus, ab eodem in ædes suas et victum² receptus, studiis humanioribus ea in schola operam navans, annis duobus cum dimidio ibidem commoratus, anno domini 1548 [*in marg.* : **annus Domini 1548**] ad patriam invisendam animum impuli.

Cum itaque nundinarum veris tempore Francoforti celebrandarum appropinquarent, commodum cum mercatoribus nostratibus patriam petere arbitratus, Francoforti eos conveniens, per idem iter quo antea veneram, in patriam reversus sum.

Domi itaque per quatuordecim dies commoratus, cum tutoribus Galliæ invisendæ studiorumque meorum prosequendorum gratia egi, quo impetrato Argentinam [2v] repetere, propter Sebastianum Willingerum juniorem constitui, quem socium itineris studiorumque mihi futurum, a parente ejus intellexeram.

Occasione itaque commoda per nuntium Norinbergensem oblata, cum tabellario illo reliquam partem Silesiæ Misniæque, Dresdam, Friburgum, Kemnicium, Zvickaviam urbes [*in marg.* : **Misnia, Dresda, Friburgum, Kemnizium, Zvicavia**] transeuntes per Voitlandiam, ut vulgo dicitur, iter facientes, Norinbergam tandem advenimus [*in marg.* : **Norinberga**], urbem cum magnificentia tum pulchritudine ædificiorum ita decoram et divitiis mercaturisque florentem, ut non immerito præcipuis Germaniæ civitatibus adnumeretur. Visuntur in ea urbe ecclesiæ duæ primariæ, quarum una Divo Sebaldo, altera Divo Laurentio dedicata, hæc pulchritudine, altera vetustate satis conspicua apparet, in qua et monumentum eodem Divo ex ære et sumptu et artificii præstantia mirandum, erectum est. Ubi et plurima patriciorum Norinbergensium arma insigniaque vetustissima suspensa in familiarum, ut illis moris est, memoriam videntur.

Munitiones cum armamentario et reliqua urbis ejusdem omnibus satis nota, omitto.

Erat tum temporis Imperator Carolus Augustæ Vindelicorum cum fratre Ferdinando Rege Romanorum qui ea in urbe comitia celebrabantur [*in marg.* : **Suevia, Augusta Vindelicorum**].

Erat et copiosissimus Germaniæ principum omniumque statuum imperii concursus, [3r] quarum rerum visendarum cupiditate flagrans, eo iter meum dirigens plus quindecim diebus in ea commoratus, non absque summa cum urbis tum splendore principum et concursus populi qui inerat admiratione, inde discessi.

Inde Ulmam Suevorum [*in marg.* : **Ulma**] urbem nobilissimam atque pulcherrimam ad Danubium sitam perveni, transiens ducatum Wirtembergensem Thubingamque [*in marg.* : **Thubinga**], academia percelebri nobilitatam urbem, ad principium Junii mensis 1548 anni Argentinam adveni. Ibi nescio quid me cum Willingero tribus pene mensibus integris continuit, tandem nundinis Francofortensibus autumnalibus appropinquantibus, Francofortum, quo necessaria nobis ad iter commodius comparare possimus, ac inde per Germaniam inferiorem Galliam petere constituimus, cum et Nicolaum Uthmannum (quo cum ob rem argentariam nobis res erat) ibi fore non dubitarem.

Ascensa itaque Argentorati navi per Rhenum, Spiram, Wormatiam, Moguntiam prætereuntes, die 12 Septembris mensis Francoforti appulimus ubi, equis reliquisque necessariis cœmptiis, adjuncto se nobis adhuc Domino Sebaldo Saurman socio, Moguntiam, quattuor milliaribus a Francoforto distantem urbem, pervenimus. [3v]

Moguntia urbs pulcherrima [*in marg.* : **Moguntia**], sita in eo loco amœno ubi Mœnus fluvius, quem alii Moganum vocant, ex Franconia descendens Rheno miscetur. Visitur ea in urbe colossus quidam lapideus, in colle³ quodam constitutus, a forma ipsa vocatur germanice *Eichelstein* propter glandis figuram ; Druso Augusti Cæsaris privigno qui in Germania periit erectus est. Et in ea Ludovicus Pius Imperator sepultus.

Moguntiaævem conscendentes impositisque equis, aqua Coloniam Agrippinarum usque iter agentes, summa cum jucunditate et voluptate per Rhenum navigantes, mirati regionis illius enarrabilem pulchritudinem fertilitatemque, littora enim collibus vitiferis conspicua castellis, arcibus oppidisque refertissimis conspiciebantur, ad Confluentiaæv civitatis muros [*in marg.* : **Confluentia**] (sic enim a confluentia Mosellæ et Rheni fluviorum urbs dicta) ; casus nobis cum periculosus⁴, tum notatu dignus accidit. Conscenderamus Moguntiaæv, ut jam dictum, cum equis scapham velocem⁵, quo commodius celeriusque veheremur, visis itaque e regione urbis anatis quibusdam in littore, quidam ex sociis globo missili bombardæ, ut vocant, manuali, eas ferre constituit, cujus et strepitu et ignis fulgure, unus ex equis nostris, qui navi alligatus erat, commotus terroreque actus, ex navi in profluentem [4r] saliit. Equus cum fluctibus certans, parum sane abfuit, quin nostram scapham non everteret, et evertisset sane, jam enim aquæ aliquantum hauserat, nisi Willingerus promptus lorum cum quo equus scaphæ alligatus erat, rescasset, equo a scapha, et nos a periculo illo ingenti liberati, littus, ut nos ipsos reficeremus equumque qui in prata quædam confugerat, compræhenderemus petivimus. Deus optimus maximus a similibus aliisque periculis me custodire dignetur.

A Confluentia, Andernacum Bonnamque [*in marg.* : **Andernacum, Bonna**] oppida jucundissima prætervecti, die sequenti Coloniam Agrippinam celeberrimam, ac Germaniæ amplissimam famosissimamque urbem pervenimus, olim Ubiopolim, quia Ubiorum erat caput, dictam.

3 *ms* : collo.

4 *ms* : periculosos.

5 *ms* : celocem.

[*in marg.* : **Colonia**] Colonia, cum situ tum pulchritudine ædificiorum et publicorum et privatorum jucundissima, academia celebri floret. Ornatur templo in honorem trium magorum qui, Christo puero ab oriente venientes, munera obtulerant erecto pulcherrimo. In quo et corpora eorum Divorum in præciosissimo argentaneo monumento, gemmis aureique variis ornamentis ornato, conservantur. Inter quæ ornamenta et divitias, onychen latiore palmò varias figuras capitum et serpentium referentem [4v] conspici licet. Visuntur et tria aurea pocula pulcherrima, a Carolo V Imperatore pro munere hisce tribus regibus oblata. Taceo reliqui thesauri, gemmarum, auri argentique, cujus ob copiam et varietatem meminisse haud licet.

Est et in ea urbe templum Divæ Ursulæ dicatum, in quo corpus ejus, cum reliquiis ossium ingenti acervo. Undecim enim millium virginum, qui eam comitatæ ibidemque martyrium pasci feruntur, reliquias esse affirmant.

Ferunt et corpus Alberti Magni apud prædicatores observari.

Triduo Coloniae hærentes, terrestre iter aggressi, sequenti die Aquisgranum pervenimus.

[*in marg.* : **Aquisgranum**] Aquisgranum civitas, a Carolo Magno cum penitus a barbaris destructa esset restaurata, cum et posthæc semper singulari erga eam affectus esset favore, id quod frequenti sua commoratione quam in ea habuit ostendit, atque deinde consentientibus imperii proceribus, constituit ut Romanorum Rex in ea civitate, primam imperii coronam eamque ferream ab archiepiscopo Coloniensi in cujus diocæsi Aquisgranum est, acciperet.

Ædificavit et in ea, opere mirabili, ecclesiam Sanctæ Dei Genetricis, ad cujus structuram et Roma et [5r] Ravenna columnas fusas et marmora devehi fecit, quæ in hunc usque diem ibi visuntur ; in qua et monumentum ejus, ibi enim sepultus est, visitar.

Visuntur et ea in urbe thermæ calidæ, in quibus lavacra varia, lapidibus quadratis strata pulcherrima, conspiciuntur.

Vidimus in domo prætoria seu Palatio arma varii generis vetustissima a longo tempore ibi asservata, quod Caroli Magni armamentarium fuisse incolæ nobis retulerunt. Erat enim tantus numerus fundarum, balistarum, lapidum omnisque generis nostro jam sæculo armorum exoletorum copia, propter vetustatem digna visu res.

Ex Aquisgrano Mastericum [*in marg.* : **Mastericum, Brabantia**] civitatem quam Mosa fluvius pene mediam intersecans ; jucundissimus pons annectens amœnam efficit, transivimus.

De Masterico ad Lovanium [*in marg.* : **Lovanium**], urbem amplissimam, academia famosam, domo prætoria pulcherrima ornatam, venimus. Ornatur et ecclesia in foro sita pulcherrima, et castro satis munito.

[*in marg.* : **Bruxella**] De Lovanio Bruxellam : Bruxella civitas pulchra, palatio seu domo regia pulcherrima ornatur, vivario in quo damarum ingens numerus alitur adjuncto. [5v]

Erat tum temporis in ea Carolus Imperator cum sorore Maria Regina Ungariæ, tenens secum adductum captivum adhuc Ducem Joannem Fridericum Saxonie. Vidimus et ibi fœminam inusitatæ magnitudinis, quæ pro monstro naturæ adducta, aulam Imperatoris sequebatur.

[*in marg.* : **Mechlinia**] De Bruxella Mechliniam ivimus. Urbs pulcherrima atque ædificiis superbissima conspicitur, ubi ruinas aliqua parte urbis anno Domini 1545 Augusto mense a pulveris bombardici fulgure incenso vi dejecta, cum porta quadam civitatis magnoque murorum ambitu conspeximus.

Erat sane clades horrenda qualis vix unquam est audita ; nam edito tonitru tantus tremor concussit urbem, ut aut extremum diem aut urbis excidium imminere omnes crederent ; horribilem enim illum nubium crepitum fulgur quodam nebulosum, et fœtor sulphureus intollerabilis consecutus ; fulmen cœli Arenæ portam tetigit, in qua reposita fuerant supra 800 vasa pulveris bombardici quorum subita conflagratio tantam in urbe fecit confusionem, ut nemo unquam mirabilius viderit spectaculum.⁶ Porta illa arenaria dissoluta fuit, ingenti illa vi, in minutissimas partes, nec tantum turris fundamenta, quin et vicinorum murorum lapides fuerunt et fundamento evulsi, et in omnem urbem dispersi, sed et fossarum aquæ subito fuerunt vi celeris⁷ incensi pulveris arefactæ. [6r]

Inventa sunt cadavera per circuitum dejectæ turris defunctorum ad trecenta, et ad sesquicentum graviter vulnerati. Cujus horribilis casus ruinas conspicientes, miserum spectaculum egregiæ urbis tam misere vastatæ atque dehonestatæ, omnibus adhuc visentibus præbet.

Vidimus et avem ibi vulgo dictum *Vogelhain*, cygni fere magnitudinis, colore inter album et carneum mixto, de quo varia undique narrantur. Imperatore enim Maximiliano omnium itinerum laborumque comitem fuisse aiunt, semperque volatu eum antecedens in tectum domus, quo recesserat, abitum expectans consedit. Verum jam senio confectus, a Carolo Imperatore annuo stipendio ei attributo, in domo propria ab anu quadam magna cura alitur.

[*in marg.* : **Antverpia**] De Mechlinia Antverpianam ivimus, emporium ob mercimoniorum et negotiationum copiam et varietatem, totius Europæ famosissimum. Ornatur turri campanaria et ecclesia cathedrali pulcherrima, magnificentia ædificiorum et divitiis conspicua ; populosissima⁸ ob ingentem mercatorum et Germanorum, Hispanorum, Gallorum, Anglorum, Danorum plurimarumque aliorum nationum concursum conspicitur. Natura præterea et arte adeo munita, ut facile plurimas et Germaniæ et [6v] Galliæ munitissimas urbes munitione sua excedat. Alluit eam a septentrionali latere Scelda fluvius quo trajecto Gandanum petentes [*in marg.* : **Flandria, Gandanum**], urbem amplissimam naturaque munitissimam in qua (natali nempe suo solo) Carolus Imperator arcem inexpugnabilem propter seditionem populi condidit ; in ea leones vivos octo, leopardos, ursum præterea inusitatæ magnitudinis qui eo in loco custodiuntur, vidimus. Inde Brugas pervenimus [*in marg.* : **Brugæ**], civitas pulchra verum haud munita, olim fœlicissima, nunc infœlix. Brugenses etenim contra Maximilianum Regem commoti, eum captivitati tradiderunt. Comperta re, Fridericus Imperator filium cum exercitu ingenti liberavit atque translatus inde non sine gravi civitatis damno mercatus, ad Antverpianam.

[*in marg.* : **Atrebatum, Gallia, Ambianum**] Transeuntes inde Atrebatensium regionem eorumque metropolim vulgo dictam Arras, urbem pulchram Gallorum Regis ditionem attingentes, Ambianum, Picardiæ civitatem primariam perpulchramque, templo cathedrali elegantissimo ornatam, pervenimus. De Ambiano, gallice Amiens⁹ dicto, ad Clarum Montem vulgo Clairmont, inde ad Sancti Dionisii oppidum atque inde Lutetiam Parisiorum, Deo optimo maximo favente, salvi die 12 mensis Octobris anno Domini 1548 pervenimus. [7r]

6 *ms* : spectaculum.

7 *ms* : coloris.

8 *ms* : populoss.

9 *ms* : Annens.

Mensibus aliquot exactis cum Willingero reliquisque sociis ad Sanctum Dionisium oppidum jam dictum [*in marg.* : S. Dionisius¹⁰] profecti rerum in eo visendarum digna gratia.

Est etenim in eo monasterium ubi Divi Dyonisii Areopagitæ corpus asservatur pulcherrimum, in quo conditionem¹¹ Regum Galliæ. Omnes enim Gallorum Reges ibidem inhumari soliti sunt. Ubi plurima monumenta perelegantia conspici licet, inter reliqua tamen, quorum unum inauratum Caroli octavi nisi fallor, alterum ex marmore candidissimo Ludovici XII miro artificio, statuis pulcherrimis, sarcophago pereleganti sculpturaque miranda conspicitur.

Non longe ab hoc monumento, columna ex jaspide non contemnendæ altitudinis a Cardinali quodam, ut statua sua imposita docet, erecta est.

In medio templi, crux aurea longitudinis quatuor aut quinque pedum, inæstimabilis valoris, cum imagine Christi appensa, ex auro puro ut narratur fusa, visitur.

Non longe hinc, e regione hujus crucis, cornu monocerotis bestię seu unicornum, ut vocant, cubiti longitudine procerius affixum est, maximi prætii æstimabile.

Conservantur et eodem in monasterio tres coronæ aureæ regni Galliæ cum quibus Rex, Regina et Delphinus [7v] primus majorve natu Regis, secundum morem et consuetudinem regni eodem in monasterio coronari soliti sunt. Quæ prætiosissimis adornatæ gemmis, rubinis, diamantibus, smaragdīs, inæstimabilis prætii conspiciebantur.

Adjunctus et his coronis thesaurus Regum regni Galliæ, cujus et nobis visendi data copia ; complurimæ divitiæ in eo conspiciebantur, poculum Salomonis, pathera quædam gemmata, duo rubini ingentis magnitudinis pluraque alia, quibus recordari non licet.

Ostendebantur nobis scepra duo regia, quorum unum aureum regale, alterum manum ex cornu monocerotis, ut aiunt, bestię sculptam, in apice gestantem duobus digitis erectis, indice medioque, symbolum justiciam denotare, Regibus Franciæ peculiare est.

Ostensa et toga et chlamis regia.

Præterea gladium ensemque Caroli Magni, ut affirmant, armaque alia plurima Regum Francorum diversorum vetustissima, quæ omnia maxima in observatione custodiaque asservantur. Et alius a monachis thesaurus monasterii ostenditur, in quo reliquias Sanctorum auro gemmisque ornatas, maxima in copia conspici licet. Inter præcipua tamen, clavum unum, cum quo Christum Salvatorem nostrum cruci affixi esse aiunt particulamque [8r] spineæ coronæ quæ Christo a militibus capiti imposita, antequam crucis patibulum subiret, fuerat ostendere. His visis Lutetiam reversi sumus.

Visu digna in urbe Lutetia Parisiorum :

[*in marg.* : Lutetia Parisiorum] Sunt in urbe duo castra, unum¹² quod regium vulgo a Louvre dictum, ad Sequanæ fluvii ripam, qui fluvius urbem mediam intersecat, alterum magis munitum, ab Anglis fertur cum Galliam invaderant, extractum, ad portam ipsam Divi Antonii a vulgo la Bastille dicitur.

10 *ms* : S. Dionisius.

11 *ms* : condimentum.

12 *ms* : usum.

Sequana fluvius mediam civitatem dividens insulam efficit, quæ quinque pontibus urbi juncta, eo in loco populissimo semper conspicitur.

Pontes ædificiis tecti, haud pontium sed platearum potius formam ostendunt.

Curia seu palatium ubi causæ discernuntur, in quo summus Senatus Galliæ considens, qui ab illis Parlamentum dicitur, omnis Galliæ populis jus tribuunt ; ædificium cum amplitudine admirabili tum opere conspicuum est.

Ubi licerta inusitatæ magnitudinis appensa conspicitur, visitur et cervi figura ex ligno compacta, cornubus perpulchris ornata, ad cuius formam et quantitatem Carolus sextus Francorum Rex [8v] aureum intra thesauros suos constituerat.

Visuntur et in palatii ecclesia, quæ vulgo la Sainte Chapelle¹³ vocitatur, divitiæ cum reliquiis Sanctorum complurimæ, cum a Divo Ludovico tum et aliis Francorum Regibus eo dedicatæ.

In medio ecclesiæ, pes avis cujusdam (gryphi fuisse quidam existimant) cum unguis adhuc integer ingentis magnitudinis appensus, conspicitur.

Ecclesia cathedralis Divæ Mariæ dicata, opere excellenti ædificata, amplitudine vetustateque satis conspicua, turri campanaria altissima ornatur.

Xenodochium seu domus elemosinaria pauperum celeberrima pulcherrimaque, annuis redditibus ditissima (locupletiore enim proventibus omnibus Galliæ principibus, ipso rege excepto, esse aiunt) ubi ingens indies pauperum ægrotantiumque numerus alitur, a Carolo Magno primum fundata. Monasterium Carthusiensium ordinis extra urbis mœnia in ipsis¹⁴ suburbiis pulcherrimum conspicitur, quod in reddito annuo triginta millium coronatorum summam excedere aiunt.

Domus publica in qua cæci (non longe a domo regia sita) quotidie ad trecentum aluuntur, a Divo Ludovico Rege pro 300 nobilibus, a Sarracenis in Affrica excæcatis, extracta redditibusque dicata¹⁵. [9r]

Sepulchrum Clodovei primi Regis christiani Francorum visitur in templo Divæ Genovevæ.

Sepulchrum Childeberti, Clodovei filii, videtur in monasterio ad Divum Germanum quod ipse extruxit.

Chilpericus Rex, Clotarii filius, sepelitur ad Divum Germanum. Clotarius secundus Rex, filius Chilperici, cum patre ibidem sepelitur.

Childericus secundus, Clodovei secundi filius, in venatione occisus cum uxore pregnante ; uterque est sepultus in æde Divi Germani.

Colossus ingentis altitudinis, quem Herculem Magnum nominant, ex gypso formatus, prope Augustinenses monachos erectus visitur, cum Franciscus Rex, nisi morte præventus esset, ære obducere constituerat.

In cæmiterio ecclesiæ Divæ Trinitatis, aiunt cadaver hominis ibi inhumatum, intra viginta 4 horas consummi igne¹⁶ cinere redigi.

In monasterii ad Divum Mathurinum deambulacro, sepultus jacet insignis ille mathematicus Joannes de Sacrobusco. In ecclesia Divæ Mariæ in Campis (vulgo Nostre Dame des Champs) visitur sepulchrum cum epitaphio doctissimi viri Guilhelmi Budei.

13 *ms* : Sancte Chapelle.

14 *ms* : in ipsa in ipsis.

15 *ms* : ditata.

16 *ms* : ingne.

Interim dum literis incumbendo Lutetiæ commorarer, inter reliqua multa quæ visu digna quotidie hominum [9v] oculis sese objiciunt, hæc notatu digniora mihi videre contigit. Semper enim ob vicinitatem regiæ aulæ nova spectacula, triumpho, torneamenta, hastiludia¹⁷, naumachiæ circumquaque ubi aula degebat, ut moris est, agebantur. Plerumque enim Rex in castro a Lutetia quinque forsitan leucis distante, ad Sanctum Germanum nuncupato, eo tunc tempore commorabatur aliquando et propius accedens, aliquando et urbem, verum octulie (cum Regibus Galliæ antequam in regni ejus insignem quandam urbem publicum et solennem ingressum egerint, se in propatulo populo visendos præbere moris non sit) ingrediebatur. Distat ab urbe castrum pulcherrimum duobus millibus passuum, Maderil nuncupatum (quod ad normam formamque Franciscum Regem ejus in quo in Hispania a Carolo Imperatore captivus detentus fuit, ædificasse aiunt) habens conjunctum vivarium seu parcum ut vocant, cervis, damis, hinnulis¹⁸ omnisque generis ferarum refertissimum ; in cujus pratis, Maio mense anni 1549 [*in marg.* : **annus Domini 1549**], a Rege aliisque principibus nobilibusque aulæ ludus hastarius in modum excursionum quas scarmuzas vocant instructus elegantissimus pulcherrimusque edebatur. In quinque enim turmas, quarum unaquæque sedecim equites continebat, divisi. Primi viridi serico Sclavinorum more armis superinduti, equis Turcicis insidentes, quibus et Rex ipse [10r] mixtus, conglobati, excursionem facta, incautos, Mauri et Æthiopes nigris armis, albo serico tectis, equis Turcicis candidis insidentes, opprimunt inter quos, hastis confractis, cum ad enses res venerat, acriter pugnatum est, spectaculum¹⁹ mehercule jucundissimum. Tandem Sclavi in fugam acti cum Mauri gestientes equos in gyrum agerent, tertius globus more Turcico vestitus, rubeo serico, arma eorum ornante insiluit²⁰, qui simili diu modo pugnantem, Mauros inde fugere compulere. Ii ob partem victoriam, secundum morem gentis, clamore et vociferatione sibi gratulantes et in gyrum excurrentes, Ægyptii seu Mamalucci ex improvviso, vestibus sericeis albo rubeoque colore distinctis, armis superinduti in eos irruunt qui pari diu certamine certantes, incauti a Germanis viginti pene numero rubeo croceoque serico vaso²¹ vestitis, opprimuntur ; qua re moti Turcæ Ægyptiique qui antehac inimici fuerant, subito concordem ambæ partes junctæ acerrime contra hostem pugnantem. Germani itaque apto ordine bombardis manualibus, primum quæ papyro globorum loco oneratae erant, exoneratis, cum venabulis Geldrensium more quos atros equites vocitant, diu pugnatum est ; in nullam itaque partem victoria inclinante, utraque secessere, cum paulo post, Germani bombardis venabulisque abjectis, lanceis utraque [10v] ex parte assumptis ad pugnam rediissent. Ruptis lanceis reliqua ensibus adeo strenue peregerunt quod brevi hostes terga vertere inque fugam se conjicere cœgerint. Hac ratione torneamento seu ludo hoc hastario²² spectaculoque jucundissimo finito, Rex cum Regina comitatuque aulico, ad arcem Maderil, ibi pernoctaturus se contulit.

Die 9 mense Junii ejusdem 1549 anni, in oppido ad Sanctum Dionysium dicto, ubi thesaurus regius conservari solitus est, interfui coronationi Reginæ Galliæ, familia Medicea

17 *ms* : crastiludia.

18 *ms* : humalis.

19 *ms* : spectabulum.

20 *ms* : insiliit.

21 Probable latinisation de l'allemand *Wams* ("pourpoint, surcot") (remerciements à François Kihm).

22 *ms* : hastorio.

Florentina orta, quæ in templo Sancti Dyonisii, editiori quodam loco ob id extracto, quamplurimis cæremoniis, solennitatibus triumphisque incredibilibus²³ peragebatur. Totius enim regni pene principes, cum ecclesiastici tum seculares, totaque nobilitas superbissimo apparatu convocati aderant.

Die posthac 16 ejusdem mensis, solennem primum suum ingressum in Lutetiam, regni metropolim primariamque civitatem, Henricus Rex egit ; quanto splendore, apparatu incredibili, quanta vestium, argento, auro, gemmis scatentium luxuria, quantaque pompa, conviviis, torneamentis, spectaculis, triumphis, res peracta sit, impossibile quodammodo ea qui viderit verbis prosequi ingenue fatebitur. At quam brevissime tamen quantum mihi et [iir] oculis et memoria concipere licuit præcipua percurram.

Respublica primum : Lutetiani in honorem regis adventuri, arcus quosdam triumphales, pegmata, columnas, statuas, obeliscos²⁴, emblemata more Romanorum veterum erexerant²⁵.

Ad portam enim Divi Dionysii per quam ingressurus rex erat, porticum fortitudini dicatum, opere Tuscano Doricoque fabricatum effecerant, pictura in interiore parte porticus elegantissime ornatum, quæ labores resque gestas Herculis quam pulcherrimo ordine continebat. In ipso arcu, columnarum vice duæ statuæ ex gypso confectæ terminos antiquos repræsentantes, positæ erant, quorum unusquisque ingentem lunam crescentem argenteam manibus gestans (luna enim crescente pro emblemate Henricus Rex uti consueverat) hæ literæ : DONEC TOTVM IMPLEAT ORBEM insculptæ visebantur.

In via Divi Dionysii, fontem qui eo in loco maximam copiam aquæ per quamplurimas fistulas et canales jucundissimo strepitu ejicit, statuis variis nympharum pulcherrimis ornaverant, in cujus apice Jovis statua aquilæ insidens, regi venienti fulmen, quod manu tenebat, porrigere videbatur.

Nymphæ omnes delphinis aquam espuentibus insidebant, opus mehercule rarum²⁶ visuque jucundum. [iiv]

Non longe ab hoc fonte erectus fuit arcus triumphalis opere Corinthio pulcherrimus, qui et statuis elegantissimis ornatus, inauratus pene totus conspiciebatur ; in cujus frontispicio anteriori, Galliæ statua, aurea toga decora, lætissimo vultu regem advenientem excipere videbatur, in posteriori Bonus Eventus cum aliis statuis permultis positus erat.

Erat et eadem in via, basi quam pulcherrima quadrata impositus, rhinoceros bestia ingentis magnitudinis ex gypso compactus coloribusque ad vivum expressum depictus, sub pedibus leones, ursos, lupos, tygrides omniaque ferarum genera immanium conculcatis habens, in dorso obeliscum peraltum atque acutum²⁷, notis hieroglyphicis quamplurimis notatum gerebat, in cujus apice Galliæ statua justæ hominis magnitudinis ense vagina²⁸ recondens globo ignem evomente insistebat.

In aditu pontis Divæ Mariæ, haud longe ab ecclesia cathedrali, arcum triumphalem statuis Argonautarum Typhis ornatum, erexerant, in cujus frontispicio statua Argonautæ malum cum velo tenente, cum hac subscriptione erat :

23 *ms* : incredibilibusque.

24 *ms* : obeliosios.

25 *ms* : exexerant.

26 *ms* : ratum.

27 *ms* : acultum.

28 *ms* : fagina.

Alter erit jam Typhis et altera quæ vehat Argo²⁹ Delectos heroas,
 a cujus latere Castor et Pollux fratres, quorum ille a dextris argento subillinitus, stellam nigri coloris ingentem, manu, alter atri coloris, stellam argentatam sustinebat ; fornix pictura elegantissima ornata sacrificium [12r] Phruxi³⁰ Marti continebat ; omitto reliquas statuas Argonautarum ornamentaque affixa quam plurima.

Ex altero latere pontis, alius arcus eodem ordine atque artificio quo prior, inventione vero status ornamentisque differente, erectus erat.

Inter hos duos arcus, pons, ut superius dictum, ædificiis completus planeque tectus conspicitur, ut nemo nisi admonitus pontem, verum plateam magis esse judicaret, qui totus inter domos illas quæ ponti insistent, hædereis coronis variisque ornamentis quæ Syrenes 100 pene numero continebant, ornatus ; arma emblemataque Regis quam elegantissime depicta, immixta erant.

Ad introitum palatii, alius adhuc arcus triumphalis sumptuosus³¹ Corinthio opere erectus erat, columnis statusque emblematicis ordine quam pulcherrimo ornatus, quam enumeranda brevitatis causa omitto ; statua autem Sapientiæ clarus, ex mammis per aliquot dies vinum in maxima copia, populo potandum præbebatur.

Lutetiani itaque, constituta die, urbem ad salutandum excipiendumque Regem, ordine optimo apparatuque splendido, egressi sunt.

Rectorem enim cum universitate egredientem, monachorum maxima caterva omnis et variæ sectæ subsequenda est. Plebis seu civium inferioris ordinis, ad 3000 millia homines pene, sericeis vestimentis induti nigrum, album viridemque colorem gestabant (candidus enim et ater Regis ; viridisque et albus [12v] Reginæ peculiaris est). Post hos, 350 artis imprimendorum librorum professores, nigro vestitu induti albisque plumis ornati incedebant.

Officarii inde minores palatii seu Parlamenti, 150 numero, vestibus omnes colore rubeo cæruleoque variegatis.

Quos secuti equites prætorii, partusanas seu bipennes, ut vocant, gestantes, 100 numero, sclopetarii³² 120, balistarii sexaginta. Omnes hii chlamydibus auro ornatis navique ad pectus ex argento intexta (quæ arma urbis Lutetianæ denotat) induti erant.

Secuti hos postea 120 civium primariorum filii armati, qui omnes eodem ordine eodemque modo vestiti, majori ex parte galeis argenteis ornabantur, quod reliquum quantis sumptibus quantisque divitiis ornatum fuerit, incredibile, mehercule omnibus merito videri possit ; nulla enim pars vestimentorum, nec ocreæ nec calceamenta ipsa, vacua auro gemmisve conspiciebantur.

Secuti posthac et præsides et assessores palatii et iudicii Parisiensis per quam longissimo ordine, quæ omnia enarrare perlongum esset.

Oblatis itaque clavibus urbis (ut moris est) Regi adventusque sui prosperi gratulati Lutetiani, eodem ordine quo exierant regressi, eos aula regia sequebatur.

Cancellarius regni primus, veste aurea vestitus, incedebat, eum signum regium aurea quadrata cistula inclusum, et lucido serico albo tectum præcedebat [13r] quod in pulvinari

29 *ms* : Argos.

30 *ms* : Phrygis.

31 *ms* : sumptuosus.

32 *ms* : sclopetarum.

aureo, equo candido impositum, duo nobiles viri, detectis capitibus, pedites purpura vestiti, comitabantur. Sequebantur et ministri et officarii cancellariæ, perpulchro ordine, splendidissime vestiti, quæ brevitatis causa jam omitto.

Adolescentes nobiles inde sumptuosissime auro argenteoque ornati sequebantur, qui nobilium aulicorum galeas auro, gemmis plumisque struthiocamelinis prætiostissimis ornatas gestabant. Secuti inde domus regiæ, primores duces, barones, comites, ingenui, præfecti, dapiferi, pincernæ, a cubiculis³³ et reliqui qui argento, auro gemmisque (incredibile dictu) adeo splendide sumptuoseque ornati, omnibus admirationem stuporemque injiciebant.

Custodes hinc corporis regii Helvetii 100 numero, nigro veluto argenteoque panno divisum vestiti, plumis pulcherrimis ornati, perpulchro ordine incedebant.

Inde buccinatores regii, vestiti veluto nigro et tela argentea.

Post hos præcones regii, quos heroldos vocant, chlamidibus violacei coloris veluteis, tribus liliis aureis intextis vestiti.

Tredecim adolescentes ingenui regii, regiis nobilibus equis insidentes, argento vestiti sequebantur.

Nobiles 4, quisque alterum insecutus, argenteo panno vestiti. Equis regiis argento margaritisque sumptuo- [13v] -sissime ornati, detectis capitibus insidebant, quorum primus chlamydem regalem, secundus pileum, tertius chirotecas, quartus galeam coronatam gestabat.

Quos secuti duo magistri equitum, panno aureo armis superinduti.

Equus inde regius, candidus, tectus veluto cæruleo, intextis undique liliis aureis, pendente a sella massa inaurata enseque regio quem quatuor nobiles qui pedites, veluto albo vestiti, detectis capitibus, conducebant.

Domus regiæ præfectus, quem conestabilem vocant, quod apud Gallos summum omnium est officium, aurea veste indutus, gladium evaginatum regi præferbat.

A pedibus quos lacaios vocant regis, panno argenteo vestiti ; REX, equo candido argenteo ornato vehebatur, chlamydem argenteam margaritis gemmisque ornatam, pileum ex argenteo filo confectum, plumis albis prætiostissimoque diamante fulgentem, habebat, sub pelo, ut vocant, veluteo cæruleo acu pictis undique liliis aureis, incedebat, quod tribuni primarii urbis Lutetianæ gestantes eum comitabantur.

Ex utroque latere regis, 24 a custodia regii corporis, auro argenteoque sumptuosissime ornati, incedebant. [14r]

Nobiles a stabulis Regis 16 numero, argenteo panno viridique veluto vestiti, ocreis albis, calcaria deaurata pedibus annexa, pedites ingrediebantur.

A cubiculo Regis duo nobiles, veluto albo discisso aureisque ornamentis retexto, vestiti erant.

Quos duo a cubiculo Regis supremi intimique aureis vestibibus vestiti, dux Guisius et dux Longevillius sequebantur.

Eos deinde principes, duces reliqui Galliæ et consanguinitate Regi juncti, auro, argento, margaritis gemmisque cum et ipsi, tum et equi eorum, sumptu incredibili ornati, insecuti sunt.

Ducenti nobiles armati regii custodes corporis, omnibus pari modo instructis, chlamydis ex veluto nigro emblematis regiis undique ex argento acu pictis ornabantur. Equo similiter ornato, quisque lanceam nigro alboque colore depictam, tibiæ impositam gestabat.

Tres præfecti custodiæ corporis regii, auro quam sumptuosissime ornati. Eos sequebantur 400 custodes corporis regii, equites armati quos harziers vocant, chlamidibus media ex parte argenteis aliaque media nigri coloris veluteis ornati, lanceis ejusdem coloris gestantibus, maximo armorum strepitu, ingrediebantur.

Omnium postremo nobiles juvenes, nobilium aulicorum et [14v] custodum corporis regii jam supradictorum ministri agmen claudebant.

Sequentibus diebus, die scilicet 18 ejusdem mensis, Regina ingressum suum solennem secuta Regem in urbem Lutetiam peregit, qui maximo et luxu et splendore peractus, cum Regem armati omnes comitati in Reginæ gratiam, sericeis argenteis aureisque vestibus quam splendidissime vestiti ornamenta eorum pene omnes mutaverant.

Lutetiani superiori ordine urbem egressi, majori tantum parte ii qui ditiores, Reginæ colores peculiare, qui albus et virides sunt, in vestitu assumpserant, præpositus civium et carcerum quem vulgo presvost vocant, qui in adventu Regis armatus fuerat, hac die chlamide ex auro et serico purpureo texta ornabatur. Eum nobilium suorum unus præcedens, insidens Hispanico equo pulcherrimo, quam sumptuosissime ornatus erat. Quem secuti duo nobiles juvenes totidemque pedibus veluto jecorei coloris vestiebantur.

Cives juniores primarii qui in honorem Regis (ut supra dictum) armati processerant, hoc die veluto albo undique dissecato minutim aureisque claviculis et ornamentis retexto, vestiti erant.

Principes, comites et nobiles aulici vestimenta ipsaque [15r] ornamenta, quo pompa spectabilior esset, mutaverant, aliqui panno aureo, aliqui argenteo, aliqui serico aureis ornamentis affixis, incredibili sumptu vestiti, progrediebantur.

Cancellarius auro purpuraque vestem intexam³⁴ gestabat, sigillo regio non præsentem.

Legati diversorum regum et principum qui in ingressu regio non adfuerunt, unoquoque comitante episcopo quodam hunc ordinem tenebant : primus, legatus Ferrariensis, tres legati Venetiani ; quintus, legatus Scotiæ ; 6. legatus Regis Angliæ ; 7. Imperatoris ; 8. legatus Papæ, episcopi galeris viridibus episcopalibus ornati, perapto ordine gravitateque incedebant.

Helvetii custodes corporis regii, buccinatores et præcones, eodem ordine quo die præcedenti, sequebantur. Duo nobiliores juvenes, panno argenteo vestiti, equis candidis insidebant, quorum tecturæ argenteæ ad humum usque propendentes, nudis capitibus ; eorum prior, pallium reginæ, posterior cistulam in qua ornamenta, gemmæ et divitiæ regales conservantur, gestabant.

Summus a dapibus, veste ex veluto albo discissa aureisque ornamentis resuta ; equo, tectura argentea humum prolabente tecto, insidebat. [15v]

Equus Reginæ peculiaris sequebatur candidus, argento plumisque pulcherrimis ornatus, cui juvenis nobilis, argenteo panno vestitus, insidebat.

Equum gradarium Reginæ, candidissima tectura ex tela argentea ornatum, ex utroque latere duo nobiles a stabulis Reginæ, vestiti chlamydibus veluti albi thoracibusque argenteis, detectis capitibus, conducebant.

Duo nobiles pueri, ornamenta plumasque, equi jam dicti gradarii gerentes, argento vestiti sequebantur.

Nobiles adolescentes a stabulis Reginæ, vestiti serico albo et viridi pedites incedebant.

200 nobiles regii custodes, diversi modo vestiti, bipennes eorum seu mallia quæ gestare consueti sunt, ferentes, pedites ingrediebantur.

Quos secuti duo eorum præfecti, auro margaritisque quam sumptuosissime ornati.

Cursores Reginæ omnes, argenteo panno vestiti.

Regina curru triumphali argentea tectura, cum Margarita Regis sorore, a mulis argenteo panno tectis vehebatur, pueri duo mulis insidentes argento etiam vestiti erant.

Regina pallium herminulis subductum habebat, auro gemmisque ornatum. Coronam auream gemmis luci- [16r] -dam capiti impositam gestabat.

E regione vehiculi, soror Regis assidens, pallium ducale auro gemmisque onustum gestans, iidem qui Regi tribuni urbis Lutetianæ tegumentum ex aureo panno 4 hastis affixo gerebant.

Proxime Reginam a dextris præcedebat conestabilis³⁵, scipionem argenteum, aurea veste vestitus, gerebat.

A cujus sinistris, Monsieur de Saint André, honorarius eques Reginæ, quod peculiare apud Gallos officium est, veste argentea vestitus, equum et candidum pari sumptu ornatum habebat.

Quem secuti duo a cubiculo Reginæ albo vestiti veluto, scipiones argenteos gestabant.

Ex utroque latere, duo cardinales, purpura vestiti galeroque flamineo ornati, Reginæ astabant.

Ad currum Reginæ, 4 a dapibus, argento vestiti, palliola ex veluto albo humeris annexa gerentes, incedebant.

Octuaginta præterea corporis regii custodibus undique stipabatur, qui chlamydibus ex veluto albo confectis auro argentoque ornatis, utebantur.

Inde principum, comitum primariorumque aulæ conjuges 22, nisi fallor, numero, insidentes equis gradariis, [16v] argenteo panno tectis et ipsæ argento vestitæ, exceptis paucissimis viduis, sequebantur, ex his unamquamque aulicorum summus, comitabatur. Pro conditionis dignitate, singulæ corona ducali seu comitis decoratæ vestitus palliaque gemmis margaritisque ornata, eorum caudam, ut vocant, sed vestis extrema duo a cubiculo sustinentes, splendidissime vestiti gerebant, secuti et unamquamque serico candido vestiti duo cursores a pedibus.

Insecuti deinceps 3 vehicula undique argentata, panno argenteo tecta, in unoquoque sex nobiliores fœminæ considentes, omnes argenteo panno, margaritis prætiosissimis ornato vestiti erant, currum quemque, 4 equi candidi argenteis ornamentis ornati, et ipso auriga similiter vestito, conducebant, res mehercule visu jucundissima.

Postremo omnium corporis regii custodes, cum præfectis reliquaue aula et nobilibus insecuti, agmen claudentes impetum et turbam insequentem arcebant.

Urbs Lutetiana dono obtulit Regi columnam auream triangularem cubiti altitudine, in basi aurea emblematicis statuīs armisque ornatam constitutam, in cujus peristylio (*sic*)³⁶ palma ad vivum effecta videbatur, cui tabella in qua hæc verba : Magnū Magna decent, insculpta appensa erat. Eam tres Reges Ludovicus 12, Franciscus prior togati Henricusque secundus chlamydati, ambiebant. [17r]

Basi tres dii Mars, Pallas, Justitia insidebant, quibus præterea ornamentis undique ornatum fuerit, omitto ; mihi ejus et in domo aurifabri, et inde in cubiculo regio visendi data copia fuit.

Lutetiæ itaque mense integro Rex commoratus, exercitationibus equestribus, hastiludiis, torneamentis, cum eques tum pedes, quotidie spectaculo novo quodam antehac non viso inducto incumbebatur, quanto vestium armorumque splendore varietate, quantis sumptibus, quantis triumphis res peragebatur, ob copiam varietatemque spectaculorum enarrare haud licet.

Eregerant Lutetiani in publico locum cursorium amplissimum tabulis ligneis septum, in quo torneamenta illa exercebantur, in cujus extremitatibus duos arcus triumphales, in medio ejus theatrum unde Regina cum familia ludos illos hastarios concursionesque prospicere posset, constituerant.

Prior arcus statuīs duabusque columnis altissimis arte Dorica, trophæis spoliisque antiquis ornatus, quarum una statua Belgi equestris, equo elevato saltumque minitantis insidens, altera Brenni, similis priori, ornata erat.

His adscriptum : GALLO TOTIVS ASLÆ VICTORI MEMORES NEPOTES ;

alteræ : EVROPÆ DOMINORVM [17v] GALLO DOMITORI³⁷ VINDICES GALLI TROPHÆVM EREXERE.

Alter fornix triplici ordine pulcherrimo, elegantissimis statuīs equestribus decorus conspiciebatur.

In insula quadam fluvii Sequanæ, arcem ligneam quam Boloniam Novam vocabant, ad spectaculum præliumque navale exhibendum erexerant ; 30que pene naves coloribus diversis vexillisque pulcherrimo aspectu distinctas, in triremium³⁸ modum quas galeras vocant instruxerant ; arx undique a littore tormentis æneis impetebatur, inde a triremium³⁹ parte oppugnata, reliquæ naumachiam jucundissime edebant, quanquam casu navium aliquam submersam, plurimi nobiles interierant ; ea res spectaculi finem tragicum efficiebat.

Turrim quoque ligneam prope castrum ædificatam, duas naves, quas pulvere tormentario missilibus⁴⁰ igneis instrumentis repleverant, ad noctem incendiderunt pluraque spectacula alia jucundissima exhibita fuere, quæ omnia ad enarrandum perlongum sane esset.

Die 23 mensis Junii, in vigilia Divi Joannis Baptistæ, in foro Divi Joannis, rogi ingentis altitudinis extractus erat, quem Rex manu propria ad celebrandam memoriam (ut moris habet) Divi Joannis accendit. Regina totaque aula præsentē, ære interim sonitu bombardarum missiliumque navium crepante, maximis triumphis res peragebatur. [18r]

36 probablement : frontispicio.

37 ms : DOMINTORI.

38 ms : trirenium.

39 ms : trirenium.

40 ms : missibilibus.

Aliquot mensibus ante ingressum Regis in urbem suam Lutetiam (quod mihi exciderat), filia ducis Ferrariensis quæ duci Aumalio, nunc duci Guysio dicto, desponsata erat, Lutetiam appulit ad quam salutandam cardinalis Lotharingus cum omnibus aulæ fere principibus tum et ipsi Lutetiani urbem egressi maxima pompa exceperunt.

Commoratus itaque Lutetiæ anno pene integro, Aureliam petere ibique aliquot mensibus commorari, mecum constitui. Societate itaque commoda oblata, Domino Willingero, Domino Sebaldo Saurmia (*sic pro* : Saurma) et S. Schultheis die 25 mensis Septembris anni 1549, Aureliam versus iter aggressus sum.

Iter ex Lutetia Aureliam :

De Paris a Bout la Reine	leucæ 2
A Longimeau	3
A Montheril	2
A Chatres	3
A Ethersi	2
A Estampes, oppidum satis pulchrum	2
A Angerville	6
A Toury	4
A Artenay	4
Ad Aureliam, vulgo dictam Orleans	6 [18v]

[*in marg.*: Aurelia] Aurelia urbs pulcherrima atque munita, tum et situ jucunda, Ligeri enim fluviorum Galliæ principi adsita, eam amœnissimam efficit.

Academia percelebri famosa, jurisprudentiæ operam omnium nationum dantibus abundat. Ornatur et templis duobus pulcherrimis quorum illud ad Sanctam Crucem dictum, elegantissimum conspicitur. Ornatur et ponte lapideo perpulchro, in cujus medio statua ærea armata Joanne Lotharingæ puellæ quæ Anglos, anno Domini 1427 Aureliam obsidentes, armis decedere cœgit, conspicitur; est et juxta eam, Caroli sexti (*sic*) Francorum Regis qui eo tempore regnavit, ærea statua erecta.

Cum 6 itaque mensibus pene Aureliæ degissem pluraque Galliæ loca invisenda mihi sæpius animus fuerat, cumque diu quam potius academiam peterem mecum deliberassem, tandem Pictaviam arridens, prima oportunitate oblata, eam urbem petere constitui. A[ge] batur tum forte annus 1550 [*in marg.*: annus Domini 1550], mense Febuario, Lutetiæ Sebastianum Willingerum conveni qui patriam repetere decreverat, quandoquidem semper valetudine adversa laboraret.

Post paucos dies Aureliam reversus, ad 8 usque diem Martii ibi commoratus, cum Melchiori de Salhausen Misnensi navim conscendens, cum Andegavum prius videre Britanniamque antequam Pictaviam iremus decrevissemus, flumine secundo Andegavum vecti sumus. [19r]

Iter Andegavense ex Aurelia per Ligerim fluvium :

De Orleans a Mun	5 leucæ
Alitur eo in oppido ingens equarum grex, Turcicæ, Hispanicæ et Neapolitanæ, nobilissimæ quæ ad partum a Rege custodiri eo in loco pratis percommodo, solent.	
De Mun Boiancy	2
Est ibi pons elegans omniumque in Ligeri longissimus.	
De Boiancy a Blais	10

[*in marg.:* **Blasium**] Blais, urbs perelegans, arce regia pulcherrima ornatur, ad arcem hortus regius maxima cura atque sumptibus omnibus generibus herbarum arborumque regie sane instructus, in quo labyrinthus ex lignis compactus artificiosissimus videtur. Prope labyrinthum, fons pulcherrimus, marmoreis æreisque statuï ornamentisque artificiosissimis ornatus. Est et eo in horto ad portam, cerva lignea, pelle cervina cornibusque vestita, cornua permaxima, 24 scilicet ramorum gerens, a marchione Badensi miraculi causa, Lodoico 12 Rege Francorum (ut tabula appensa docet) dono missa.

A latere meridionali, duabus tribusve leucis ab urbe sita est, in loco paludinoso, omnium regni Galliæ pulcherrima arx, Schaumbourg dicta, ex candidissimo lapide mirum, nec enarrandum quanta arte, pulchritudine, sumptu concamerationumque [19v] ordine extracta sit, digna res mehercule visu.

De Blais ad Chaumont arcem	5
de Chaumont a Amboyse	5

[*in marg.:* **Amboisium**] Amboyse, civitas pulchra, arce regia elegantissima a Carolo 8 Rege extracta, maxima ex parte habitaculis conclavibusque inauratis ornatur. Sunt in ea turres duæ crassitæ atque robore insignes, quæ inferiori⁴¹ parte ex lapidibus coctis testudinario artificio stratæ, ex infimo loco (arx enim loco satis alto sita ad summum arcis usque vel curru vel equo ascenddi facultatem præbent).

Videtur in arce statua Caroli 8. Regis Francorum ad vivum sculpta qui arcem eandem extruxit.

In sacello privato arcis, testudinum tegumenta miræ magnitudinis ossaque quædam balenarum videntur.

Ante introitum arcis ad manum dextram est fanum quoddam in quo cornua cervina (a rege Cypri quodam ut nobis narrabatur rege Galliæ quodam dono missa) incredibilis magnitudinis, quorum rami quidam cubiti excedebant longitudinem appensa videntur.

Non longe ab hoc sacello, in domo quadam privata, 7 cybetorum animalium quæ jussu Regis ibi alebantur visendi nobis est data copia, bestia magnitudine vul- [20r] -pis at cruribus humilioribus oblongo corpore, capite mardare simili, at coloris taxi quem nos germanice *ein Dacgß* vocamus, cauda felis seu cati quanquam magis pilosa, colore albo seu griseo et nigro distincta, grunitum porci edebat ; sub cauda crumillam⁴² gestat, ex qua tempore cum

41 *ms* : interiori.

42 *ms* : crumemillam.

maturum fuerit, cybetum odor ille gravis cochleari quodam eximitur domus tota tum et vicinia undique odore illo vehementi redolebat.

De Amboyse ad Turonensem⁴³ civitatem
vulgo Tours dictam

7

[*in marg.*: **Turonium**] Turonium, civitas pulcherrima omnis generis mercaturis maxime autem aureis sericeisque pannis qui maxima in copia ibi texuntur abundans, fama maxime optimorum per Galliam armorum quæ ibi conficiuntur, clara est.

Duobus templis pulchris ornata, quorum illud ad Divum Martinum dictum, vetustissimum ; in eo ipsum Divum corpus sepultum aiunt. Episcopum enim olim Turonensium agebat.

Alterum cathedrale ad Sanctum Gratianum (*sic*) dictum pulcherrimum, duabus turribus campanariis artificio structuraque elegantissima ornatur. Visitur et eadem in ecclesia [20v] horologium artificio celeberrimum, in quo totus cursus cæli planetarumque agitatus, miris aliis ornamentis jucundissimis ornatum est. Ultra Ligerim, monasterium Divi Martini pulcherrimum, cujus redditus omnium monasteriorum Galliæ amplissimum esse affirmant.

De Tours ad arcem Ousse

9

Ad arcem Montsoreau

5

Ad Saumur

3

Saumur, civitas haud ampla at situ aspectuque jucundissima, ex candido lapide constructa, pulcherrimum aspectum advenientibus navigio præbet ; in proximo colle arx satis pulchra civitati adjacet.

De Saumur Andegavum Angiers dictum leucæ

10

[*in marg.*: **Andegavum**] Andegavum, urbs perpulchra, academia celebri famosa est. Habet arcem in urbe munitissimam, turribus perplurimis fortissimam, antiquiori structura ædificatam.

Templum ad Divum Mauricium dictum pulcherrimum, monumentis epitaphiisque perelegantibus ornatum, inter reliqua tamen decani statuis æreis marmoreisque decoratum, ex lapide candidissimo majori ex parte deaurato, summo artificio sumptuque extractum est.

Ex altero latere ecclesiæ, Joannes Olivarius episcopus Andegavus, vir doctissimus atque clarissimus, sepultus cum hoc epitaphio : [21r]

Ad latus inferius :

Janus Olivarius jaceo hic sub marmore duro.

Istius ædis eram Præsul et immeritus

Peccavi fateor (quis enim offendisse negabit ?)

Ast veniæ in Christo spes mihi firma fuit.

Qui nostrum gratis abstersit (*sic pro* abstergit) morte reatum

Et nos non nostris justificat meritis
 Hanc spem vos fratres præcibus votisque juvate.
 Manibus ut nostris pax sit, et alta quies
 Ac mortis memores bene vivite et usque valete
 Sitque eadem vobis post abitum (*sic pro obitum*) requies.

Ad caput :

Mortuus ecce licet jaceam, vivo tamen et te
 Hospes, nil super hac morte timere velim.
 Ipse abii, haud abii (*sic pro obii*) nec mors hæc vera putanda est
 Parte ego cum vivam nunc meliore mei
 Mors (*sic pro nox*) oculos tantum premit, et sopor occupat artus
 Purius ac melius mens animusque vigent.
 Membra operit tellus, ea donec Christus ab alto
 Excitet hæc spes est, quæ pia corda fovet.
 Hanc præcor hospes habe hac disces (*sic pro discas*) contemnere letum
 Et melius vitæ noxia quæque feres.

Aliud quod ipse episcopus de seipso paulo ante mortem conscripsit⁴⁴ :

Inquiris hospes qui sim ? non sum amplius. [21v]
 quid agam ? putresco et vermium greges alo
 qui fuerim ? ineptus Janus Olivarius.
 Peccator vivus (*sic pro unus*) omnium præmaximus.
 Unde ? urbe natus nobili in Lutetia
 Quo functus olim munere in republica
 Primum archiabbas Andium post pontifex
 Quæ otia ? sacratas paginas evolvere
 Quid hac in urna superat ? ossa et cinis
 At quo animus, hospes contine, scire hoc nefas
 Arcana divum non decet scrutarier
 Neu quid negoti sit Jovi cum manibus.
 Satis superque nosce erit fidelium.
 Post fata mentes non mori, at quiescere.
 Donec resurgunt (*sic pro resurgan^t*) in priore corpore
 Augustiore quam antea, fœlicius
 Victuræ in ævum cum beatis omnibus
 Jam nocti (*sic pro nosti*) abunde qui fuerim, at altissimis
 Quando in tenebris nequeo nunc te agnoscere.

44 En réalité l'inscription commençait par : "Reverendi Patris D(omi)ni Joannis Olivarij Andiu(m) Pontificis, Epitaphium quod ipse de seipso paulo ante mortem conscripsit." (BnF, détail du fonds Gaignières, B 2725, reproduit dans Farcy 1877, pl. I, 42).

Saltem hospes unum hoc tete ut agnoscas rogo
Optesque veram mortuis pacem omnibus.

Aliud ejusdem :

Pedem viator siste, specta paululum
Hæc alta moles quam vides non tollitur.
Surgitve in auras, mortui hujus gratia
Cujus cadaver jam solutum in pulverem [22r]
Penitusque ad esum vermibus, non indeget (*sic pro indiget*)
Tot arte sculptis lapidum acervis obrui.
Cui deesse tellus neutiquam poterat levis,
Sed nec sopore in tam profundo sensum
Pictis chymæris aut notis inanibus
Afficitur, ut vos vitam adhuc qui vivitis
Et quantum ad umbras luce cassas attinet
Tumuli levis jactura, et urna qui caret
Cælo Joveque melius regitur (*sic pro tegitur*), ut dictitant
Hic totus ergo tragicus ornatus tibi
Viator positus est, et ob causam tuam :
Oculos videlicet huc ut obvertas tuos
Et has sophorum perlegas sententias.
Queis subeat animo temet esse obnoxium
Fato, atque vitæ tædeat miserrimæ
Quæ nec (*sic pro ne*) horulam quidem obtineat unquam satis
Tutam ac quietam mortis ab insultibus
Quæcunque spectas scilicet eo maxime
Spectant : ut hæc memoria mortis te instruat
Omnia caduca et fluxa, quæ ceu maxima
Stupidi, leves, et inscii tam maxime
Mirantur homines, more magna miri (*sic pro magnanimi*) Herculis
Ut monstra terræ (*sic pro torva*) perdomare, ac fortiter
Calcere, flocci, nauci nihili pendere. [22v]
Vitamque puram heroicam ducere
Et quæ ad supremam illam et perennem gloriam
Jugiter anhelet, quam Deus, speram, tibi (*sic pro sperantibus*)
In se paravit, ut optimus sic maximus
Collige viator, si hæc sapis, quid didiceris (*sic pro didiceris*)
Oculisque quantum debeas hodie tuis
I jam precare manibus pacem, et vale

Monumentum hoc pulcherrimum undique imaginibus sculptis horum clarorum virorum
qui sequuntur unicuique sententia subscripta ornatum est.

Moyses
 Pulvis es, et in pulverem reverteris
 Priamus
 Fuimus Troies (*sic pro Troes*), fuit Ilium.
 Aristoteles
 Vita malis plena est, post mortem vera voluptas
 Orator.
 Qui mortem metuit, Philosophus non est ; quippe
 aliam nescit vitam.
 Horatius
 Debemus morti nos, nostraque
 Ovidius
 Morte carent animæ [23r]
 Cicero
 Nemo lugendam censet mortem quam immortalitas sequitur.
 Paulus
 Bonam vitam mors bona commendat
 Diogenes
 Omnium rerum vicissitudo est.
 Æschines
 Pejus (*sic pro peior*) est morte, te mori spe mortis.
 Cato
 Spem retine, spes una hominem nec morte relinquit
 Judas Machabæus.
 Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare.
 Seneca
 Nemo tam divos habuit faventes, crastinum ut posset sibi polliceri.
 Solon
 Ante obitum nemo foelix
 Plato
 Tota vita sapientis, mortis est meditatio
 Hiob
 Homo quasi flos egreditur et conteritur
 Persius
 Vive memor leti, fugit hora.
 Juvenalis
 Mors sola fatetur, quanta hominum sunt corpuscula [23v]
 Vergilius
 Ubique luctus, ubique pavor et plurima mortis imago
 Musæus
 Mortuus in portu est, at (*sic pro ast*) nos navigamus in undis
 Euripedes (*sic*)
 O quam miserum est nescire mori.
 Trime :
 Boni mortem ut bonorum omnium maximum optant

David
 Quis est homo et non videbit mortem.
 Ptolomeus (*sic*)
 Nemo mortem hilaris excipit nisi qui se ad eam diu composuerit
 Orphæus
 Conciliat divos pietas et tartara vincit.
 Boecius
 Mors hominum fœlix
 Homerus
 Mors optanda viris, requies ea certa laborum.
 Pindarus
 Quid est ullus, quid nullus: umbre, somnium, homo.
 Hesiodus
 Corpus humum, cælos mens, spiritus oppetit (*sic pro appetit*) auras. [24r]
 Paulus
 Mihi vivere Christus est, et mori lucrum
 Idem Paulus
 Cupio dissolui et esse cum Christo.

Cum Andegavi mense pene integro degissemus, advenerunt ex Pictavio Dominus Joannes Baptista Daum Francus, Dominus S. Schultheis Hagonoensis, et Dominus Eusebius Hedio Argentoratensis, cum quibus antehac Lutetiæ consuetudo fuerat familiaris ; ii recreandi animi gratia ad montem Sancti Michælis proficisci constituerant ; oblato itaque sodalitie adeo oportuno, cum et sæpius antehac eum locum videndi maxime occasionem desiderassem, die 23 Martii Andegavi navem conscendentes, Nanetum urbem Britanniae celeberrimam, portumque maritimum⁴⁵ famosissimum, antequam iter constitutum aggredere visere decrevimus ; per Ligerim itaque vecti, hoc iter succincte notatum perfecimus.

Iter ab Andegavo Nanetum :

Ab Angiers ad arcem Serans	3
Ad arcem Poyssonier e regione arx Rochefort sita	1/2
A Chantoisier e regione Monteian arx	1 1/2
A Yngran	2 [24v]
Prope hoc oppidum, columna erecta visitur quæ fines Britanniae ab Andegavensi ducatu dirimit.	
A Saint Florian	2
A Nanseny	3
Ad arcem Hodun	2
A Saint Sebastian	3
A Nanetum, vulgo Nantes dictum	1

45 *ms* : maritimum.

[*in marg.* : **Nanetum**] Nanetum, civitas haud ampla at pulchra, ad ostium Ligeris fluvii pene sita, ad cuius muros adverso flumine naves marinæ quanquam non omnium maximæ usque appellere possunt, ingensque ea in urbe mercatorum, maxime autem tempore pacis Hispanorum et Flandrorum semper copia apparet.

Ad ripam Ligeris, in ipsa urbe situm est castrum munitissimum. Visitur et pons ibi prælongus, ad bis millia passus ut aiunt extensus, prolixitatis enim causam Ligerim qui efficit insulas esse aiunt.

De Naneto, iter terrestre ad Sancti Michælis usque montem per Britanniam suscepimus.

Iter de Naneto ad Sancti Michælis montem :

De Nantes a Herit leucæ	4
A Maleiot (<i>sic</i>)	2
A Nose	1
A Moyses, a latere arx quædam pulchra Darne nomine	3 [25r]
A Boin	3
A Pompeie	4
A Renes	2

[*in marg.* : **Rhedones**] Rhedonum civitas, vulgo Renes dicta, Britanniaë metropolis, urbs elegans munitissimaque.

De Renes a Sainct Obin	3
A Armanaty	3
A Pontorson	4

Pontorson portus est maris cum oppido satis eleganti ; ad maris littus castrum maxime munitum conspiciere licet ; inde ad montem Sancti Michælis leucæ 2

Qui mons in ipso mari tanquam promontorium situs, nullum accessum nisi æstu maris recedente habet ; oppidum rupem cingens undique cochleatim, ad summum usque vergens in apice ecclesiam habet, Divo Michæli dicatam, situ pulcherrimo ; plurimæ ibi reliquiæ, præcipue autem scutum et scutio Divi Michælis ut aiunt, reservantur ; eo ex loco qua ex causa ignoro, occasione sumpta, omnes Reges Galliaë ordinem eorum [*in marg.* : et societatem cum torque cochleato quem Divi Michælis] vocant gestare consueverunt.

Visitur et ea in ecclesia epitaphium insignis illius theologi Parisiensis, Venerabilis Bedæ quod angelum de coelo ære insculpsisse fabulantur. [25v]

Mons ipse, cum natura loci, tum arte munitissima, in mare tanto spatio distentus, ut nullis machinis bellicis a terra investari queat, et quanquam singulis diebus æstu suo constituto maritimi⁴⁶ fluctus, ita recedat ut eum plane aqua denudatum in arena sicca relinquat, inter paucas tamen horas æstu revertente omnia aqua redimplens, accedere volentes repellit, quod hac ratione, terra oppugnare volentes et distantia continentis, æstusque et discedens et rediens plane impediatur.

Et naves, si quæ propius accedere vellent, æstu suo constituto recedente, in siccum deponeret hocque modo manibus hostium traderentur.

46 *ms* : maritini.

Tuta itaque ab omni hostium vi impetuque omnium iudicio iudicatur.

Mille passibus a Sancto Michæle insula sita est perexigua, Toumbelené vocata, quam annis superioribus Angli occuparant. Nunc inest præsidium Gallorum ad quam invisendam, æstu maris recedente, pedites ivimus, locus exiguus at munitissimus.

Adortum versus vergendo situm est oppidum cum portu satis illarum nationum famoso, qui fines Britaniæ atque Normandiæ dirimit.

Perlustratis omnibus eo in monte, Andegavum recta repetivimus. [26r]

Iter directum a monte Sancti Michælis Andegavum :

De Sainct Michel a Sainct Jomes (<i>sic</i>)	4
A Fougieres, urbs elegans pulchraque	5
A l'Hostellerie de Bout	3
A Senton	4
A Laval, pulchra situque jucunda civitas cum arce ornatissima	3
A Entresme	1 ½
A Chateau Conte	4 ½
A Dan	2
A Venes	4
A Angiers	2

Venimus Andegavum die 6 Aprilis ; commorantes ibi duobus, Pictavium versus iter aggressi sumus.

Erant tum feriæ Paschales.

Iter ab Andegavo Pictavium :

De Angiers a Pontdece	1
Oppidum hoc ad Lygerim situm, dictum esse existimant tanquam Pons Cæsaris ; eo enim in loco super Ligerim Julium Cæsarem pontem, cujus adhuc ruinæ vetustissimæ extant, ædificasse aiunt. [26v]	
De Pontece a Brissac	2
Est eo in oppido arx perelegans ad quam invisendam profecti, a domino loci illius, maximæ inter Gallos autoritatis viro, qui et legati aliquando munere in Germania funxerat, honorificentissime suscepti sumus.	
De Brissac a Doyl	4
Ai Puis de Nostre Dame ⁴⁷	1
A Saincte Virge	3
A Sainct Joyne	4
A Belly	3
A Estable	3
A Poitiers	4

[*in marg.* : **Picti**] Venimus Pictaviam 10 die Aprilis anno Domini 1550. Interim dum Pictavii commorarer duobus enim annis cum dimidio ea in academia studiis operam navavi, tria mihi vitia hoc spatium temporis, animi relaxandi videndique gratia, itinera suscipere contigit, quorum primum Rupelense, alterum Bituricense, tertium Aurelianense fuit.

Rupellam, portum maris apud Xanthonos situm, Galliae famosissimum invisere, societate commodissima oblata, decrevi ; 18 die Augusti anni Domini 1550 Pictavio discessimus [27r]

Iter ex Pictavio Rupellam :

De Poitiers ⁴⁸ a Lonsignam leucæ	5
Visitur eo in oppido munitissima arx at structuræ genere vetusta, quam Melusinam pulchram, de qua ampla et communis illa extat fabulosa historia, ædificasse aiunt. Arci adjunctum est vivarium seu parvus, ut dicitur, 4000 fere passuum longitudine, in quo ferarum, maxime autem damarum, maxima inclusa videtur copia.	
De Lonsignan a Banyon	4
A Tourin	3
A For	3
A Mose	4
A Bonci	2
Ad Rupellam, vulgo la Rochelle dictam	5

[*in marg.* : **Rupella**] Rupella, portus⁴⁹ maris celeberrimus, ab omnium nationum mercatoribus maxime frequentatus. Civitas ipsa ordine pulchritudineque ædificiorum satis conspicua, plurimis templis, maxime uno nondum penitus perfecto, ornatur, in quo conspiceri licet sepulchrum Domini Jesu Christi statuis hominis justam magnitudinem, formam coloremque, repræsentibus pulcherrime ornatum, arte incredibili.

Rupellæ navim conscendentes, in insulam Reorum dictam, vulgo l'isle de Roy, vecti, quæ mire [27v] vitifera, quatuor leucis a Rupella distans, in oppido ad Sanctum Martinum nominato, portu elegantissimo commodo, omnes pene Britanniae naves excipit ; ea perlustrata, Rupellam reversi, Pictaviam repetivimus.

Iter ex Rupella Pictavium :

De la Rochelle a Noyle	4
A Corson	2
A Nyort, oppidum satis elegans	5
A la Ville de Dieu	2
A Saint Messan, oppidum satis elegans	2
A Soudan	1
A Roulle	2
A Lonsignam	2

48 *ms* : Poicteris.

49 *ms* : portiss.

A Poitiers

5

[*in marg.* : **annus Domini 1551**] Reversus 28 die Augusti ex Rupella, solito Pictavium degens, anno sequente 1551, die 20 Februarii, cum Domino Bocklino Argentinensi, Sebastiani Willingeri causa (?) qui ex patria redierat, Aureliam profectus sum, quanquam et reditus mei dubius, causæ tamen aliquæ quas hic silentio præterire placet, mihi revertenti occasionem dedere.

Iter ex Pictavio Aureliam :

De Poitiers a Chatelreault

7

Oppidum cum pulcherrimum tum situ jucundissimum.

A Portepile, ubi trajectus fluminis

4 [28r]

A Mantelan

4

A Fo

3

A Blery

3

A Amboyse

2

A Blais

10

Hæ duæ urbes superius descriptæ.

A Saint Dye

4

A Saint Lorent

3

A Nostre Dame de Clery

4

Eo in oppido superstitione Diva Maria Virgo colitur omniumque indie Galliaë populorum limina ejus Divæ frequentantium concursus. In ecclesia, monumentum Ludovici undecimi Regis Francorum marmore, alabastrite extractum, visitur, corona, lancea, chlamyde, ense vexilloque regio, variis et aliis ornamentis sepulchro appensis. Ducum quorundam clarorum, armis et spoliis idem sacellum ornatissimum conspicitur.

De Clery a Orleans 4

Commoratus aliquot diebus Aureliæ, societate commoda oblata Domino Ludovico a Frauenberg Wirtenbergense natione, et Domino R. a Diaheim Rhenensi et Domino Ludovico Bocklin, rogatu eorum navim Aureliæ conscendentes, [28v] cum nullus ante hac eorum eas urbes viderat, Andegavum vecti sumus, inde ego recta Pictavium rediens, idem iter cujus paulo ante mentio facta repetii.

Adveni Pictavii 25 die Martii anno Domini 1551.

Non longo post tempore exactis quibusdam mensibus, venerunt Pictavium Dominus Henricus Hochlin, nationi Luxemburgense et Dominus Caspar Schenck, Nortgavensis, qui Biturigi literis operam dare consueverant, quorum cum hortatu et præcibus tum et urbis visendæ desiderio invitati, Domino Sebastiano Schultheis et Domino Bocklino sotiis oblati, Bitturigum, die 18 Junii mensis Pictavio discedentes, profecti sumus.

Iter ex Pictavio Biturigum :

De Poitiers a Chovigne

5

Oppidum arce ornatum elegans atque situ jucundissimum

A Saint Savin, monasterium ditissimum atque pulchrum

4

A Yngran

2

A Blanc en Berry ⁵⁰	2
Civitas satis pulchra, ruinarum vestigiis ⁵¹ olim ab Anglis perpetratarum plena, in finibus Pictonum et Bituricensis ducatus situm oppidum.	
A Ruffec	2 [29r]
A Cyron	2
A Mesle	2
A Louan	3
A Chateaurous	3
Ab hoc oppido aliud perpulchrum, vix 1000 passuum longitudine, le Bourg de Dieu dictum, situm est.	
A Willerei	3
A Ysoïdun	4
A Charroy	2
A Saint Floran	2
A Bourges	4

[*in marg.* : **Biturigum**] Biturigum, vulgo Bourges dictum, urbs ædificiorum splendore, viarum ordine, atque amplitudine ipsa, tum et academia percelebri quæ maxime ibi floret, undique satis famosa est, quæ meo tunc tempore doctissimos duos jurisconsultos Dominos Eguinarium Baronem et Franciscum Duarenum alebat.

Ipsam urbem sunt qui putant a duabus turribus quasi bis turris sic dictam a duobus fratribus qui in ea regnabant, ædificatus, quarum una adhuc extat ingens et rotunda, ex quadratis lapidibus tanto artificio constructa, ut vix ullis machinis sit expugnabilis. Vulgus in [29v] oppugnatione urbis Julium Cæsarem eam extruxisse narrat.

Ornatur præterea templo cathedrali Divo Stephano dicato, pulcherrimo, quod inter Galliæ prima ecclesiarum ædificia merito numeratur. In crypta seu subterraneo templo ejusdem ecclesiæ visitur sepulchrum Domini Nostri Christi quod statuis pulcherrimis marmoreis ornatum, sumptuosissime conspicitur.

Eadem via qua veneramus reversi, die 6 Julii mensis Pictavii appulimus.

Ultima die mensis Julii anno 1551 qui Veneris erat dies, ludendo hasta quadam inter saltandum gravissimum ictum cecidi. Tanta enim fuit collisio venarum et nervorum brachii dextri quod magnam sanguinis copiam ad juncturam cœgerit, quare plus tribus mensibus concilio et arte chyrorum uti coactus fui, donec sanguinem illum vi dispersum undique suis locis restituere, nervosque debilitatos roborare potuerint. Deus optimus maximus a similibus periculis malisque me custodire dignetur.

[*in marg.* : **Pictavium**] Pictavium, urbs amplissima⁵² atque situ jucundissima, academia florentissima famosa est. Clanus fluvius eam pene circumdat, qui inde in Viennam [30r] fluvium labitur. Extant in ea monumenta quædam et reliquiæ miræ antiquitatis, in primis ruinæ quædam amphiteatri a Romanis olim (ut creditur) ibi extracti. Et aquæductus

50 *ms* : Beny.

51 *ms* : vectigiis.

52 *ms* : amplisq.

quædam reliquia (quos vulgari lingua le Duc vocitant) extra portam urbis quæ la Trenchæ dicitur, vetustissimæ.

In cœnobio Divi Cypriani, in ipso introitu templi, in sacello quodam subterraneo, visitur ingens acervus conjectorum ossorum quæ Anglorum olim Pictavium oppugnantium in proximis pratis cæsorum ossamenta esse affirmant.

Prope monasterium Divæ Trinitatis, meo tempore inventi sunt tres lapides vetustissimæ, cum hac inscriptione :

D. S. M.
IVL. SECVN. DINÆ. SER
EN. FIL. D.DIT
D. F. A. X. E.

DIS
MANIB. IVL. RV.
FINÆ TASCVS PAVL
LIN VXOR.

DIS
MANIB. L. SECOL
CERA. SIL
FORENS. S.

In tribus leucis ab urbe distante sylva, anno 1551, monumenta quædam et sepulchra vetustissima, cum animi recreandi gratia in ea spaciarem, inveni, inter [30v] quæ cranium hominis inusitate crassitiei et roboris reperi, de quibus cum incolas loci interrogassem, olim tempore Caroli Magni eo in loco pugnam cum Sarracenis⁵³ ingentem peractam fuisse affirmabant, cum et hodie undique per sylvam et agros monumenta similia et ossa cadaverum reperiantur.

Vidi Pictavii infantis cadaver duo habentem capita, reliquo corpore non erat monstrosus eratque masculus.

II

[30v] [*in marg.* : **annus Domini 1552**] Adveniente anno Domini 1552, cum patriam repetere animo induxissem, postquam secundo die Augusti ab amicis accepissem litteras, equis cœmptis, die quarta ejusdem mensis Pictavio discessi. At cum Gallia eo tempore bellis maxime ferveret nec Lotharingiam transire tuto liceret, Lugdunum prius, cum et ante eam urbem nunquam vidissem, transire constitui, ut inde mihi commodius tutiusque iter per Sabaudiam et Helvetiam in Germaniam pateret.

Iter ex Pictavio Lugdunum :

De Poitiers a Chovigne

5

A Saint Savin	4
A Yngrande	2
A Blanc en Berry	2
Hæc oppida superius notata [31r]	
A Saint Gothier	6
A Saint Marceau	2
A Nevy	5
A la Chastre	3
A Chasteau Milan	3

Eo in loco, maximum periculum sanitatis imminebat, pessime enim ut nunquam ante hac habebam.

A Saint Christofle	3
A Espineul	4
A Canne en Bourbonnoys	5

In finibus Bituricensium et Borbonensium ducatus situm oppidum.

A Monter au Moynes	4
A Verneul	4
A Varennes	2

Ubi iter Parisiensis hinc se conjungens inde Lugdunum usque ; permagnifica visuntur hospitia.

A la Palisse, arx ibi perjucunda	4
A la Pacquodiere	4
A Rouenes	4
A Saint Saphorin	3
A Terrare	3
A la Bresle	4 [31v]
Lugdunum, vulgo Lyon dictum	3

[*in marg.* : **Lugdunum**] Lugdunum, urbs amplissima atque ædificiis pulcherrima, situ jucundissima, Arari fluvio eam mediam secante, Rhodano præterlabente, horum duorum insignium fluminum mille passibus ab urbe confluentia fit, ambo pontibus lapideis elegantissimis ornantur. Urbs mercatorum frequentia omnium nationum abundans, cum totius Galliæ emporium sit famosissimum, eam populosissimam efficit, cum et situ mira commoditate inter duo celeberrima flumina inque centro quasi Europæ omnia loca mediterranea superet.

Apud Romanos olim fuit florentissima, quod et domicilium multorum Romanorum principum fuerit, et Seneca scribit tot pulcherrima opera in ea fuisse, ut singula illustrare urbes singulas possent (et addit) : inter cætera nostræ tamen memoriæ templum ab universis Gallis communi designatum impensa, et Augusto Cæsari dicatum. Eo in loco ibi Araris et Rhodani est coitio, ædificatum est adest et ara dignitatis eximiae gentium sexaginta numero inscriptum habens titulum earumque singularum statua una.

In pariete ædis Sancti Pauli cœmiterium versus epitaphium antiquissimum visitur hac inscriptione: [32r]

Dyonisides conjunx, quæ sibi viva posuit
 utrisque quæ vix sine ulla quærela.
 quæ fœlix fato si non plena doloris. Quæ filios duos carnit, cujus unius nati mortem non
 interfuit longæque peregre quæ mater orphana viva sibi, et posuit suis, et sub ascia dedicavit.

In ecclesia seu cœnobio Florentinæ nationis, in sacello quodam visuntur columnæ
 pulcherrimæ marmoreæ, ferrei coloris, quatuor nisi fallor numero.

Commoratus diebus quibusdam Lugduni, die 20 Augusti inde discessi, comite itineris
 Domino Sebastiano Boschman, Heidelbergense, per Sabaudiam⁵⁴ Helvetiamque ; itaque
 profectus per Argentinam, ut familiares meos pristinos inviserem, Germaniam petere
 constitui.

Iter ex Lugduno Argentinam :

Egressuro mcenia urbis Lugdunensis, Sabaudia ducatus statim occurrit.

[*in marg.* : **Sabaudia**]

De Lyon a Montleu	3
A Monrys (<i>sic</i>)	3
A Chardon	3
A Nantua	3
A Saint German	3 [32v]
A Colonge	4
A Geneve	3

[*in marg.* : **Geneva**] Geneva urbs juxta exitum Rhodani fluvii et lacu Lemanno sita, ab
 imo surgens et protensa ad collem, Rhodanus eam dividens duas civitates quasi efficit, quæ
 ligneo ponte conjunctæ, major pars tenet latus meridianum, minor vero partem oppositam.
 Erat tunc temporis Genevæ doctissimus theologus Joannes Calvinus, quem et docentem
 audivi.

Omnis hæc Sabaudia ditio fere Bernensibus Helvetiis paret, quæ anno Domini 1530
 duci eorum abrepta est, cum Genevenses in libertatem vindicare volebant, atque cum Rege
 Gallia rapinis intenti essent.

De Geneve a Nuion	3
A Roulle	3
A Morse, ubi arx satis munita Bernatibus parens	2
E regione Morse, visitur alia arx quædam pulcherrima. Ad Losannam urbem	2

Totum id iter a Geneva Losannam usque, ad ripam⁵⁵ lacus jucundissimam protenditur.

[*in marg.* : **Losanna**] Losanna, civitas satis pulchra, mirabilem situm habens, occupans
 scilicet duos oppositos colles, et inter mediam vallem. Cathedralis ecclesia et canonicorum

54 *ms.* : Saubaudiam.

55 *ms.* : rippam.

ædes tenent collem septentrionalem, et ex opposito colle meridiano [33r] patet descensus magnus ad lacum usque.

De Losanno a Modun, germanice *Milden* dicitur 3

A Peterlinge 3

Aventicum communiter Avenche 1

Aventicum, olim tempore Julii Cæsaris Helvetiorum caput, hodie a Germanis *Wiffelspurg* vocatur, estque oppidum mediocre in colle situm, olim amplissimum sicut et ambitus ruinarum et murorum vetustissimorum ostendit.

Extant et quibusdam in locis lapides quidam Romanas litteras insculptas habentes : columna quoque eminens, in prato quodam, oppido propinquo consurgit sed quæ muri cuiusdam pertinacissimi reliquias præ se fert, vulgus olim super ea idolum quoddam erectum fuisse narrat, hodie ciconiarum domicilium et nidulatio.

De Aventico a Morten 1

Murta oppidum ad lacum situm, pugna illa celebri cum Carolus Audax Burgundus anno 1476 cæsus fuit, maxime famosum. Ad cuius rei memoriam domus extra mœnia, eo in loco ubi pugna perpetrata extracta est, plena ossibus interfectorum, ostendit in hunc usque diem quanta cædes illa fuerit, quotque ibi occubuerint homines, videntur adhuc in quorundam craniis atque ossibus ipsis infixæ vulnera. [33v]

[*in marg.* : *Helvetia*] Hoc in oppido, lingua germanica initium sumit atque inde per milliaria Germanica metiemur.

De Morten a Arberg, milliaria Germanica 3

A Buren 3

A Solothurn 1 ingens

[*in marg.* : *Soloturum*] Solodurum, vetustissima satisque pulchra civitas, ad Arolam amnem sita. Putant eam sic dictam ab antiqua turri, quæ adhuc visitur in medio locata civitatis quæ Soli dicata fuisse dicitur, ut dicta fuerit Solothurnum quasi Solis turris.

Hoc in loco, sanctus Ursus de legione Thebeorum una cum 66 sociis, sub Cæsare Diocletiano, præside autem Hyrtaco, capite pro Christi nomine truncatus est. Ubi et sepultus.

De Soloturu a Witelspach 1

A Balstat (*sic*) 1

Inde transeuntes Juram montem asperrimum et cataractam inaccessibilem,⁵⁶ *die Wæsserfalle* tanquam ex summo loco aquam decidentem nominatum.

A Dornach 2

Visitur eo in pago ædicula quædam in qua ossa interemptorum in illa pugna quam Maximilianus Imperator infœliciter circa annum domini 1499 gessit, asservata sunt, in quibus aperta adhuc indicia vulnerum [34r] et ictuum, gladiis et jaculis illatorum apparent.

De Dornach Basileam milliare 1

[*in marg.* : *Basilea*] Basilea urbs perpulchra situque jucundissimo Rheni fluvii ripam utramque complectens, ponte pulcherrimo, hæ duæ quasi civitates conjunctæ, quarum

56 *ms.* : inaccessibilem.

una major, altera minor Basilea dicitur, academia⁵⁷ præterea maxime celebrata est. Situs jucunditate vix me superiorem vidisse memini. Birseca amnis eam quasi totam subterlabitur, qui ex cryptis subterraneisque fornicibus quibus urbs ipsa plena, sordes omnes excipiens, inde Rheno tandem miscetur.

In cathedralis ecclesiæ choro Anna, Rudolphi Imperatoris ab Habsburg⁵⁸ uxor, cum filio Hartmanno in Rheno submerso et puero Carolo sepulta est.

Desiderius quoque Erasmus Rotherodamus eodem in templo conditus est cum hoc epithaphio marmore Rhetico inciso :

C'HR'(IST)O SERVA
TORI.
S.

Desiderio Erasmo Rotherodamo viro omnibus modis maximo [34v] cujus incomparabilem in omni disciplinarum genere eruditionem, pari conjunctam prudentia, posteri et admirabantur et prædicabunt, Bonifacius Amerbachius, Hieronymus Frobenius, Nicolaus Episcopus, hæres et nuncupati supremæ suæ voluntatis vindices patrono optimo nostro (?) memoriæ quam immortalem sibi editis lucubrationibus comparavit, iis tantisper dum orbis terrarum stabit superfuturo, ac eruditis ubique gentium collocuturo, sed corporis mortalis quo reconditum sit ergo hoc saxum posuere.

Mortuus est quarto Idus Julii jam septuagenarius, anno a Christo nato M.D.XXXVI

Marmore sepulchro imposito, terminus insculptus est. Olim enim terminum veteres fingeant, hominis trunci effigiem absque brachiis et pedibus a umbilico in lapidem rudem desinens. Erasmo etenim consuetum id emblema erat, cui hæ literæ incisæ :

Des(iderium) Erasmum Roterodamum, amici sub hoc saxo
condebant quarto Idus Julias, anno Domini
M.D.XXXVI.

In Carthusia Ludovici postremi ducis Teggenensis, patriarchæ Aquileiensis ac primatis Italiæ, sepulchrum atque Ludovici Pontani admirabilis memoriæ jurisconsulti bustum visitur, honorifico ab Ænea Sylvio epitaphio exornatum.

Prope templum Divi Petri, Johannis Frobenii epitaphium marmore incisum visitur. [35r]

Arida Johannis tegit hic lapis ossa Frobeni
Orbe viret toto nescia fama mori
Moribus hanc riveis meruit, studiisque juvandis
Quæ nunc mœsta jacent orba parente suo
Rettulit. ornavit veterum monumenta sophorum.
Arte, manu, curis, ære, favore, fide.
Huic vitam in cælis date numina justa perennem

57 ms. : Aademia.

58 ms. : Haspurg.

Per nos in terris fama perennis erit.

De Basilea a Kempis milliaria	2
A Otmersse	1
[<i>in marg.</i> : Alsatia] Circa hoc oppidum, Alsatiæ regio initium sumit.	
A Hirtzfelden	2
Ad Kolmariam, est civitas imperialis satis pulchra	2
De Colmaria ad Selestadium	3
Selastadium, civitas imperialis satis jucunda et pulchra. Illa fluvius qui inde Argentinam petit eam præterlabitur.	
A Benfeld	2
Argentinam, vulgo <i>Strasburg</i>	3

Veni Argentinam die ultima Augusti anno 1552. [*in marg.* : **Argentina**] ob rumorem itineris periculosi (Cæsar enim exercitum tum undique colligens, itinera omnia militibus impedita conspiciabantur) tum et ob adventum Imperatoris cum exercitu, quem per Argentinam ad obsidionem [35v] Metensem tendere certus rumor erat, quem antea videre constitueram, tribus septimanis integris ibi commoratus sum.

Die itaque 15 Septembris, exercitus Imperatoris quem tum secum ducebat, Argentinam appulit, verum urbem minime ingressus, in pratis proximis civitati junctis, stationes suas locaverat. Quorum numerus Germanorum peditum 54 insignia, Hispanorum 27 et Italorum peditum octo vexilla erant, equitum 2000. Ego aliquoties urbem egressus, diligenter castra eorum perlustratus sum.

Die inde 19 ejusdem mensis, Imperator cum aula aliquotque equitibus urbem ingressus, summo honore ab Argenteratensibus exceptus, tribus plusve horis in ea commoratus, cum toto exercitu inde Hagonoam versus discessit.

Sequentibus diebus, die scilicet 22 ejusdem mensis, et ego inde iter Norimbergense suscepi.

Argentina, urbs amplissima atque munitissima ædificiisque maxime conspicua, inter omnia tamen ornatur turri cujus in Europa similis non esse dicitur, pulcherrima atque elegantissima.

Habet ea urbs præter Rhenum qui mille passuum longitudine eam præterlabitur alios amnes tres, Kintzgum, Illam qui [36r] per totam Alsatiam fluit, et Bruschum qui civitatem in duas impares tamen dividit partes.

Iter ex Argentina Norimbergam :

De Strasburg a Lichtenaw	3
Comitum de Hannaw ditio.	
A Stolphofen	1
A Rachstat	3
marchionum Badensium ditio.	
A Etlingen, oppidum pulchrum	2
A Pfortzen, civitas satis elegans	2
A Hammerdingen	2

[*in marg.* : **Wirtenberga**] Hoc in loco, ducis Wirtenbergensis ditio initium sumit ; ad septentrionem enim arx illa ducum Wirtenbergensium munitissima, Hohen Asperg nominata, in colle non admodum sublimi, quem latissima tamen planities⁵⁹ undique cingit, sita est.

De Hammerdingen a Canstat 2

A manu dextra duobus milliaribus, situm est oppidum Stuttgart, a fronte arx Wirtenberg unde duces Wirtenbergenses nomen traxere, jucundissimo situ visitur.

De Canstat a Schorndorf 3

Oppidum hoc munitissimum conspicitur, cui munitionibus simile in Germania haud reperiri dicitur, nobis introeundi [36v] copia data non est.

A Lor, monasterium cum situ tum ædificiis jucundissimum, ubi fines ducatus Wirtenbergensis et Sueviæ partis.

Ad Mindensem, urbem Sueviæ 1

[*in marg.* : **Suevia**]

Urbs imperialis satis pulchra ; ad dextram sita est arx Hohenrechberg.

De Minden a Hutlingen 2

A Elwangen 1

In proximo colle sita est arx munita, ubi præpositus qui supremam civitatis jurisdictionem retinet, communiter residere consuevit. In ecclesia monasteriali monumentum cum epitaphio fundatorum ejusdem monasterii, hac inscriptione :

Anno Dominicæ Incarnationis D.CCLXIII regnantibus Carolomanno et Pipino fratribus constructum est hoc monasterium Elwangense a Beato Hariolfo et Erlolfo fratre ejus, Lingonicæ urbis episcopo, hujus loci fundatoribus in tumulo hoc quiescentibus.

De Elwangen a Duncelspudel, civitatem imperialem 2

A Rut, episcopi Eistetensis 3

A Eschenbach 1

A Winsbach, Alberti marchionis Brandenburgensis 1

A Rudelsdorf 1 [37r]

A Schwabach 1

Norinbergam 2

Adveni Norinbergam 28 die Septembris, cujus misera facies, agrorum vastatio, pagorum, domorum arciumque circumquaque incendium, nuperrime ab Alberto marchione Brandenburgense⁶⁰ eam obsidente misero aspectu vastata, dirum adhuc spectaculum præbebat ; cum paucis itaque diebus in ea commorari, in animum induxissem, jam ita itineri accinctus, adversa valetudo doloresque pedis mei sinistri, qui acerrimi erant, a proposito meo, mere traxerunt, cui et adjunctus adventus Domini Floriani Grispeck Romanorum Regis consiliarii tumque ad Norinbergensem legati, qui maxime parenti piæ memoriæ familiaris fuerat, me duobus mensibus integris Norinbergæ continuerant.

59 *ms.* : plaities.

60 *ms.* : Brandeburgense.

Tandem pristinae sanitati institutus Dominoque Grispeck abitum jam parante⁶¹, illi conjunctus, curru vectus in Bohemiam recta tetendimus.

Interim cum Norinbergæ degerem, ob negotia regalia quædam cum Domino Grispeck, quæ cum marchionis Brandenburgensis juniori Georgii filio, agenda habuit, Anspachium me contuli, ubi aliquot diebus commorati, honorificentissime a principe suscepti, confectis⁶² negotiis Norinbergam reversi sumus. [37v]

In itinere inter Anspach et Norinbergam visitur monasterium Hailsprun nominatum, cum situ et amplitudine et ædificiis pulcherrimum, tum fontium aquam limpidissimam evomentium copia jucundissima.

Discessimus Norinbergæ 28 die Novembris anno Domini 1552. Verum directum iter, cum Dominus Grispeck undique amicos suos per Boemiam inviseret, non assumpsimus.⁶³

Iter ex Norinberga Pragam :

De Norinberga a Lauffen	3
A Reichelwan	1
Arx Fortenbachii civis Norimbergensis perpulchra, ubi duobus pene diebus commorati, lautissime excepti sumus.	
A Herspruck, oppidum Norimbergense	1/2
A Sultzpach	3
A Hirschaw	2
<i>Juederwerdenn</i>	3
Ad Novum Oppidum, vulgo Neustede	1
Ubi arx perjucunda baronum de Heydeck, in ea pernoctati, magnifice tractati sumus.	
[<i>in marg.</i> : Boemia] Non longe ab hoc castro, sylva Bohemica quæ proprie Hercinia dicitur, initium sumit. [38r]	
A Bernaw	3
A Gotsch	1
Arx jucunda consobrini Domini Grispeck ; in ea sex diebus commorati, interim venationibus operam dedimus. Recreandi animi gratia a Domino comite (Schlick) invitati in oppidum suum <i>die Play</i> nominatum, carpento vecti, quod duobus tantum milliaribus ab arce Gotsch distat, hospitio cultissimo suscepti sumus.	
De Gotsch a Weseritz	2
Castrum pulcherrimum in eo apud nobilem arcis illius Elbogener nominatum, pernoctati, miro in honore nos habuit.	
De Weseritz a Breitenstein	2
Arx Domini Grispeckii in rupe sita, vetustate pene collapsa, quatuor diebus venationi interim studentes, ibi commorati, inde discessimus.	
De Braitenstein a Katzeraw	3

61 *ms.* : parente.

62 *ms.* : confectiss.

63 *ms.* : assumpsissimus.

Arx Domini Grispeck nondum perfecta, verum ædificiis ordineque perpulchro conspicua, situ jucundissimo apparet circumundique cum pagos tum oppida perplurima eidem Domino subjecta habens. Ubi commoratus cum Domino Grispeck 6 diebus, interim Bilsnam civitatem Boemiæ celebrem pulchramque quinque miliaribus Germanicis [38v] a Katzerovia distantem visendi gratia profectus, post reditum cum Domino Grispeck Pragam curru vecti sumus.

De Katzeraw a Bernaw, civitas pulchra 5

A Praga 3

Inter Pragam et Bernaw, unico miliari a Praga, collis humilis in maxima planitie visitur, ex congerie terræ, post Boemorum eo in campo contra Saxones victoriam, cum singuli singulos pileos terræ repletos unum in acervum congegissent, eum collem erectum affirmant.

[*in marg.* : **Praga**] Praga, civitas perampla atque pulchra, ponte lapideo in 24 arcus extenso pulcherrimo ornatur. Arx in ea regia majori tamen parte incendio fœdata perpulchra, academia quoque famosa est.

Rudolphus, Rudolphi Imperatoris filius in ea est sepultus; discessi Praga 23 die Decembris, iter per Lusatiam in patriam suscipiens.

Iter ex Praga Vratislaviam :

Cum per Lusatiam, ut amicos quosdam meos ibi inviserem, ire deliberassem, iter directum in patriam neglexi.

De Praga a Mulfelsen Domini Grispeck 3 [39r]

A Raudnitz 2

Imminebat tum temporis festum Nativitatis Christi, quare cum capitaneo arcis illius duobus diebus commoratus, honorificentissimo ab eo susceptus sum hospitio.

A Lippe, oppidum pulchrum 4

Ad Sitam 4

Sita, urbs Lusatiae in radicibus montium Boemicorum sita, satis pulchra.

A Gorlitz 4

Gordelitii tunc temporis peste maxime grassante, cives, morbi contagionem timentes, urbe relicta, in prædiis eorum ruralibus se continebant. Ubi ego conveniens, Dominum Franciscum Schniterum consulem Gordelitii aliquot diebus, cum ab illo tum a Domino Frentzelio in Kunigshan summis lautitiis exceptus, nuptias quasdam quas illi parabant præcibus eorum victus, expectare constitui. Hærens itaque quatuordecim pene diebus ibi, a fratre literas mæstissimas accepi, quæ die inopinata sororis meæ Hedwigis morte in puerperio defuncta, nova tristissima continebant.

Ego inter nuptias et lætitiâ tristis atque mærore plenus, itineri me accingens, patriam recta petii.

De Gorlitz ad Boleslaviam, vulgo *Buntzel* 6 [39v]

A Haya 2

A Lignitz 2

Urbs munitissima atque pulchra, ex qua et circumjacente regione duces Legnicenses nomen traxere.

De Lignitz ad Vratislaviam 8

Veni Vratislaviam patriam mihi charissimam, Deo optimo maximo propiciante, die 15 Januarii mensis, anno Domini 1553 [*in marg.* : **annus Domini 1553**]. Cui et gratias immortales pro tanto beneficio collato, quod me salvum incolumemque ex tam longinquo itinere patriæ restituerit, ago, cujus et opem auxiliumque in posterum depræcor. Amen.

Aliquot diebus peractis, refectus a labore molestiaque itineris, a tutoribus curatoribusque meis rationem bonorum omnium meorum petii, duobus pene mensibus in eo consumptis labore, cum tandem omnis ratio prospere quam cum curatoribus tum cum fratre ad finem peracta esset, curatoribus coram Senatu addicatis in proprias manus bona mea ab illis mihi tradita recepi, agente me annum tunc 22 cum sex aliquotve mensibus.

Omnibus itaque negotiis peractis, ad Italiam cujus longo ante hoc tempus⁶⁴ visenda animus semper percupidus fuerat, animum adjeci.

Compositis itaque constitutisque domi rebus meis, fratre sororioque [40r] Domino Petro Nonhardt sotiis, Venetias usque itineris se mihi oblatis, die 20 Aprilis mensis anno 1553, Vratislavia discedentes, recta per Austriam, Italiam petivimus.

Iter ex Vratislavia Viennam Austriæ :

Ex Vratislavia a Ola	4
Ad Nissam, urbem perpulchram sedemque episcopi	
Vratislaviensis	7
A Zuckenmantel, ubi auri mineræ	3
Ad Angeli Montem, vulgo <i>Engelsberg</i> dictum	3
Ad Hausen	3

[*in marg.* : **Moravia**] Haud longe ab hoc oppido, quod in finibus Silesiæ ducatus et marchionatus Moraviæ situm, superioribus annis sylvam quandam longitudine duorum plusve miliarium latitudine quibusdam in locis circiter duorum millium passuum, a turbinoso quodam vento ac tempestate horrenda dejectam funditusque eversam, arboresque radicitus evulsas. Stupore quodam dignaque admiratione videre nobis contigit, incredibile certe et admirandum prodigium. [40v]

De Hausen a Sternberg	1
Ad Olmontium	2

[*in marg.* : **Olmontium**]

Moravorum primaria civitas, perpulchra atque ædificiis jucunda, conspicitur.

De Olmuntz a Brosnitz 2

Non longe ab hoc oppido, ingentis latitudinis patentes campi occurrunt, qui cinerei plane et ab igne consumpti apparent.

Ea planities quam sæpissime cum absconditum in visceribus terræ habeat ignem fumantem hinc inde atque ardentem diu noctuque præbet facilem.

Terram eam absque dubio quid bituminis sulfurisue continere in quo ignis alatur certum est, atri enim coloris apparet, dignum tamen mehercule naturæ operantis miraculum visu.

De Brosnitz a Scheretitz	4
A Wistenitz	3

64 *ms.* : hac tempore.

A Stetz	3
Arx in rupe altissima sita, planitie eam peramplam cingente, cum natura tum arte munitissima.	
A Misselbach	1
A Ulrischkirch	3
Ad Viennam	3 [41r]

Vienna, metropolis archiducatus Austriae, propugnaculum [*in marg.* : Vienna] hodie Christianorum contra saevissimum Turcam. Urbs munitissima, aedificiis promagnificis splendidissima, academia percelebris est. Inter plurima civitatis ornamenta ornatur et castro regio pulcherrimo, et templo Divo Stephano dicato, cujus turris campanaria incredibilis pulchritudinis artificiique conscipitur. In ecclesia, sepulchrum marmoreum Friderici Imperatoris cum epitaphio appenso pulcherrimum visitur.

Extant et alia perplura, eadem in ecclesia, plurimorum heroum ducumque monumenta epitaphiaque elegantissima.

In ecclesia Divo [*vacat*] dicata, visitur monumentum ex marmore candidissimo, comiti Nicolao de Salm erectum, cum pulchritudine tum caelaturis artificioque sculpturarum visu dignum.

Vidi tum temporis Viennae elephantem, bestiarum cum animal maximum tum sagacissimum, quem Maximilianus Rex Boemiae, filius Regis Ferdinandi, ex Hispania secum advexerat, miraculum certe nostris regionibus cum nullum unquam ad nos perductum fuisse existimem.

[ici commence le manuscrit R 2174 de la bibliothèque universitaire de Wrocław : Seyfried Ribisch, *Iter Romanum*, f. 1r-137r : autrefois v. Rehdigersche Stadtbibliothek Breslau (= B)]

Iter ex Vienna Venetias :

De Vienna ad Neustat	8 [41v]
----------------------	---------

[*in marg.* : Neustat]

Nova Civitas, vulgo *Neustadt* dicta, urbs satis elegans. Arce regia pulcherrima ornatur, et vivario seu parco, ut vocant, peramplo, in quo damae et ruffae et candidae aliaeque hujusmodi generis ferae, cicures admodum, maxima in copia summa cum delectatione conspiciuntur. Visitur et in eo hortus ad aestivum calorem repellendum aptissimum, miro ordine diligentiaeque arborum ad labyrinthi rationem consitus ; incuria vero et negligentia pene interiit.

Erat tum temporis in urbe filia Caroli Imperatoris, Maximiliani Regis conjunx et vidua ducis Mantuani, relicta filia Ferdinandi Romanorum Regis noviterque Poloniae Regi desponsata.

De Neustat a Neukirch	2
Ad Schadewin	2

Transgressi montem altissimum qui fines Austriae et Stiriae marchionatus constituit.

[*in marg.* : **Stiria**]

A Mertzuschlag	2
A Krigla (<i>sic</i>)	2
A Kaffenberg (<i>sic</i>), arcem baronum de Stubenbergk ⁶⁵	3
A Bruck	1
A Leuben	2 [42r]
A Sankt Michel	1
A Knuttelfeld	3

Oppidum in limitibus Stiriae et ducatus Carinthiae [*in marg.* : **Carinthia**] situm.

A Judenburg ⁶⁶	2
A Hundtsmarckt	3
A Scheufling	1
A Neumarckt	2
A Freisach	2
A Sankt Veit	4
A Feltkirchen	3
A Villach	3

[*in marg.* : **Villacum**]

Villacum, civitas satis pulchra, verum non adeo ampla, metropolis est Carinthiae.

A Klein Tervis	4
A Savenitz (<i>sic</i>) ⁶⁷	1/2
A Pontafel ⁶⁸	2

Hoc in oppido, Venetorum ditio et imperium initium sumit.

Ad Clausam Arcem	2
------------------	---

Arx hæc inexpugnabilis montes et rupes inter nivios sita, iter in Italiam sic occupat clauditque ut nemini invito⁶⁹ eo præsidio illac⁷⁰ transire liceat. [42v]

Ad Felach	1
A Venzorn ⁷¹ , germanice Peitscheldorf	2
A Sankt Daniel	3
A Spillenberg	1
A Siciel	4
A Kunighan	2

[*in marg.* : **Italia**]

A Tervis	3
----------	---

[*in marg.* : **Taurisum**]

65 B : Studenberg.

66 B : Judenberg.

67 Saifnitz = Campososso depuis 1918.

68 B : Pantafel. C'est Pontebba (prov. Udine).

69 A : nemini nito ; B : memini invito.

70 B : illas.

71 B : Venzoen.

Taurisum urbs, vulgo Tervis, pulchra atque elegans, cum artificio Silis fluminis (quem intra urbem arte continere hosteque appropinquante effusim omnem circa oppidum regionem submergere queunt) tum murorum crassitudine, fossarum latitudine munitissima.

A Maisters

2

Mille passibus ab hoc oppido navim conscendentes, per paludes maritimas⁷² Venetias circumdantes vecti [*in marg.* : Venetia], die 8 Maii mensis anni 1553, Venetias appulimus, cujus situm mirandum, pulchritudinem ædificiorum cum publicorum tum privatorum, splendorem, cum nemini sint ignota, tacebo; breviter solum præcipua visu digna perstringam.

Templum princeps Divo Marco dicatum, tesselato marmore deaurato incrustatum, quod opus musivum⁷³ appellant, [43r] tecto laqueato aureo splendidissimum apparet, pavimentum marmoris varii generis tesselatum, miro ordine artificioque compositum musaico opere, tanquam pictæ imagines omnibus apparent.

In posteriore parte summi altaris, ut vocant, 4 columnæ alabastrites quæ lumine adhibito perspicue apparent visuntur, e Solomonis templo Jerosolimitano asportatæ, ut affirmant. Ad summum altare a latere duo pulpita⁷⁴ quæ duæ columnæ gemmatæ sustinent.

Supra idem altare, globus gemmis margaritisque prætiosissimis ornatus.

Tabula ibidem dives artificiosaque aurea gemmis plurimis ornata, ex Constantinopoli allata.

In vestibulo templi visuntur 3 columnæ marmoris Synadici antiquissimæ, nihil oneris ad portas templi erectæ, gerentes, e palatio Pilati secundum vulgi opinionem allatæ, alii vero eas eodem in templo Salomonis fuisse, affirmant.

Eodem et in vestibulo ad introitum templi, visitur locus quidam, marmore exiguo signatus quadrato, in quo Fridericus Barbarossa Imperator papæ Alexandro cervicem pedibus conculcandam præbuit. [43v]

Visitur, non longe ab hoc loco, sepulchrum cardinalis cujusdam ex ære artificiosissime fabrefactum⁷⁵.

Ante introitum templi, supra portam, videntur 4 equorum æneæ statuæ antiquæ auratæ, manu artificiosissima factæ.

E regione templi est turris Divi Marci⁷⁶, cujus basis tabulis et columnis marmoreis porphireticis, ophiticis aliisque nobilissimis marmoris et statuis æneis ornata, stuporem pulchritudinis artificiique certe injicit.

Turri adjunctam Veneti bibliothecam Divo Marco sacram miris sumptibus, artificio pulchritudineque ex marmore albo ædificant, quæ plurimis columnis maxime autem quibusdam ex ophite marmore antiquissimo ex Pola Dalmatiæ urbe allatis ornatur.

Visuntur et columnæ duæ marmoreæ ingentis crassitudinis in foro erectæ, quarum una Divo Marco, altera Divo Theodoro dicata; sontes inter eas criminali afficiuntur supplicio.

72 A : maritinas.

73 B : musicum.

74 AB : pulpitra.

75 B : fabricatum factum.

76 B : D. Marco.

Palatium principis Venetæque reipublicæ, quanto splendore, quanta marmorum varietate artificioque extractum sit enarrare haud licet. In quo armarii secreti ubi plurima trophæorum⁷⁷ insignia asservantur, videndi nobis est data copia. [44r]

Navale seu armamentarium Venetorum, quod Arsenalè vulgo nominant, ad 4 millia passuum in ambitu continens, undique muro turribusque munitissimum munitum in quo numerum permagnum triremium⁷⁸ et navium bellicarum tum et machinarum omnisque generis bellicorum instrumentorum et copiam incredibilem conspiciere licet.

Plurimæ sunt in urbe ecclesiæ pulcherrimæ, monasteria celeberrima atque fana sumptuosissima, inter alia tamen xenodochium cum templo Divo Rocho dicatum, pulcherrima structura, ordine copiaque columnarum conspicuum est.

Et templum Divorum⁷⁹ Joannis et Pauli excellens, in quo perplura cum ducum Venetorum, tum aliorum clarorum virorum monumenta et epitaphia conspiciere licet. Inter quæ eximie pulchritudinis duæ equestres statuæ inauratæ visuntur, quarum una Nicolao Ursino erecta, hanc præbet inscriptionem :

Nicolao Ursino Nolæ Petilianiq(ue) principi longe clariss(imo) Senensium Florentini pop(ulorum) II Sexti, Innocentii, Alexandri Pont(ificum) Max(imorum), Ferdinandi Alphonsiq(ue) junioris Reg(um) Neap(olitanorum) Imp(eratore) feliciss(imo) Venetæ demum Reipub(licæ) per XV annos magnis clarisq(ue) rebus gestis [44v] noviss(ime) a graviss(ima) omnium obsidione Patavio conservata virtutibus et fidei singularis S.V.M.H.P.P. obiit ætatis anno LXVIII. M.D.IX.

Altera hanc habet⁸⁰ inscriptionem :

Leonardum Prathum militem fortiss(imum) et ex provocatione semper victorem, Præfectum Ferdinandi junioris et Friderici Regum Neap(olitanorum) ob virtutem terrestris navalibusque præliis feliciss(imum) magnis clarissimisq(ue) rebus pro Veneta Repub(lica) gestis pugnans ab hoste cæsum, Leonardus Lauredanus Princeps et ampliss(imus) ordo senatorius, prudentiæ et fortitudinis ergo statua hac equestri donandum censuit.

Supra meridiolam portam ejusdem ecclesiæ
posita statua pedestris, hac inscriptione :

Imperator, ductor, eques milesq(ue) Dyonisii Naldi conduntur⁸¹ hic ossa. Hic juniorem Ferdinandum regno a Gallis pulsum restituit, Florent(inam) Rempub(licam) peditatui præf(...) pec : ornavit. Veneti dignitatem Ingenii⁸² sustinuit, fide et fortitudine incompart :⁸³

77 A : troaephorum.

78 A : triennium.

79 AB : DD. Joannis et Pauli.

80 A : Altera hanc inscriptionem.

81 A : conditur.

82 B : Imperii.

83 B : incompar.

inter alios Duces peditat(us) præfat :⁸⁴ Patavium servavit moriens et nimiis vigiliis, hoc virtutis suæ perpetuum monumentum clariss(imo) Lauredano Principe ex Ampliss(imi) Senat(us) autoritate meruit. obiit ætatis anno 45 anno M. D. X. [45r]

In area eorundem Divorum, alia statua equestris ænea inaurata, perpulchra artificiosaque, basim habens marmoream cui insculptum visitur :

Bartholomeo Coleono⁸⁵ Bergomensi ob militare imperium optime gestum S.C. anno Sal(utis) M.CCCC.LXXXXV de quo Bembus in historia sua Veneta in hunc modum scribit. Iisdem probe (*sic pro* : prope) diebus Senatus Bartholomeo⁸⁶ Colliono (*sic pro* : Collioni) Bergomati Imperatori suo, quod multa bella singulari virtute, fide incomparabili gessisset, remque militarem superiorum Imperatorum negligentia collapsam, restituisset, quodq(ue) de Repub(lica) optime meritus, auri libras decies centies, ei moriens testamento legavisset, statuum equestrem æream inauratam in Johannis et Pauli area ponendam censuit.

Urbs ipsa insulis monasteriisque quibusdam jucundissimis circumdata, maxime vero insula Murana, quæ in Europa omni ob vitra illa nobilissima, quæ crystallina vulgo dicuntur, in ea confecta famosissima est.

Tum et insula ad Divum Georgium dicata⁸⁷, e regione palatii ducalis sita, in qua monasterium pulcherrimum, jucunditate varietateque arborum horto pereleganti⁸⁸ ornatum. [45v]

Ad orientem urbis⁸⁹ sita sunt duo castra munitissima, quæ ipsum ingressum a mari in stagna Veneta⁹⁰ custodiunt.

Ad meridiem, portus celeberrimus Malamocco⁹¹, olim Metamaucum oppidum dictum, quo in loco statio frequens navium Venetias advenientium est.

Cum præcipue Veneti Ascensionis Domini Nostri Christi festum celebrant⁹², moris est illis thesaurum Divi Marci qui eodem in templo asservatur, in ipso pio festo Ascensionis, populo conspiciendum exhibere, cujus et mihi videndi copia data, non divitiarum numerum et prætium, non elegantiam nec singula quæ cum stupore admiratus, cujus tantus erat numerus enarrare licet, cum Galliæ Regum thesaurum quem in oppido D(ivi) Dyonisii prope Lutetiam Parisiorum ante videram, copia rerum minime hunc adæquare posse credam, præcipua itaque tantum breviter perstringam.

Undecim coronæ aureæ regiæ, cum totidem aureis thoracibus 12 corona seu pileo ducali, rubinis, diamantibus, smaragdis, unionibus omnisque generis prætiosorum lapidum inæstimabilis prætii ornata. Duo præterea monocerotis cornua seu unicornu, ut vocant,

84 B : præf.

85 B : Coloneo.

86 A : Bartomeleo.

87 AB : dicta.

88 B : arborum pereleganti.

89 B : urbs.

90 A : Venete.

91 AB : Malomocio.

92 A : celebrent.

maximi valoris, verum non tantæ ut aliquando in thesauro Galliæ Regum me vidisse memini magnitudinis. [46r]

Et gemmæ perplures cum pulcherrimæ tum ditissimæ, inter quas præcipue duæ rubini quos vulgus palastos⁹³ nominat, bacculis argenteis annexæ insignis magnitudinis conspiciabantur.

Aderat et tantus numerus cum ornamentorum ecclesiasticorum, tum omnis generis vasorum ex agate, chalcydonio, turchesia, aureorum et argenteorum, tantæque divitiæ⁹⁴ canistris tot impositæ, undique conspiciabantur, ut neque memoria tenere, neque verbis exprimere liceat.

In quo festo⁹⁵ Ascensionis⁹⁶, moris est a longa majorum consuetudine, principem cum majoribus Senatus in navi reipublicæ pulcherrima, auro purpuraque ornata, Bucentauro nominata, in altum mare transcendere, inque ipso⁹⁷, prope castella æstuarii, in maris introitu, multis ceremoniis ab episcopo peractis, demum principem ad desponsandum in perpetuum dominium et convinciendum mare, aureum annulum in mare injicere, qua in solennitate, incredibilem copiam navigiorum cymbarumque multa millia, quod æstuarium ipsum illis tectum⁹⁸ videretur, conspiciere contingebat.

Die 18 Maii, Venetiis cum fratre navim conscendens, Patavium quæ urbs a Venetia 25 millium passuum longitudine distat, per Brentam fluvium vecti sumus, ubi frater aliquot diebus [46v] urbis visendæ gratia commoratus, Venetiam reversus, 30 die Maii patriam repetiit.

Ego prout ex patria discedens mecum constitueram, ob ætatem proximam cujus æstum clementiorem Patavii quam aliis in locis esse compereram, ibi degere decrevi.

In fine Maii, cum diem ultimum Franciscus Donatus Venetorum princeps clausisset, ad funebria festa conspicienda me Venetias contuli, quæ cæremoniis maximis, summo cum Senatus mærore maximaque populi frequentia peracta sunt.

Mense sequenti Junio scilicet, duce novo Marco Antonio Trivisano creato, cum festum corporis Christi (in quo illis solitum publicas supplicationes et cæremonias quasdam singulares agere) quod in interregnum⁹⁹ inciderat¹⁰⁰, celebrare non potuerint¹⁰¹, dislatis ad novi ducis electionem his solennitatibus ampliore quam solito triumpho Senatus eum populo exhibuit.

Ipse dux, aurea veste vestitus, Senatu purpurato eum comitante, jucundissimum aspectum, gravitas, Senatorum canities atque corporum venustas præbebat.

Divinis itaque auditis in æde Marcia sermonibus, ea celebritas in foro est facta, is parietum ejus ornatus, ea tanquam varia spectaculorum exhibitio, is sacrorum collegiorum, is omnium ordinum, omnis ætatis conventus [47r] et cæremonialis perambulatio fuit, ea

93 B : pallastos.

94 B : aureorum et argenteorum, tantæque divitiæ *desunt*.

95 A : In ipso festo.

96 A : In ipso festo Ascenss : Dni.

97 B : ipsa.

98 A : tectium.

99 A : interregium.

100 A : judicerat.

101 A : potuerant.

vis argenti atque auri fabrefacti, et gemmatorum monimentorum per manus hominum atque ipsis in canistris et corbibus circumducta, ut omnibus visentibus stuporem divitiarum admirationemque spectaculorum tantæque multitudinis merito injecerit.

Circa diem 26 Junii, cum Patavii hærerem, in morbum gravissimum solitum tamen incidi, dolore etenim oculorum maximo perpresso, fluxus illi humoresque corrupti inferiora petentes in talos sinistri pedis se immiserunt, ubi, excitato tumore doloreque intereundum quodam me simili modo, accum Norinbergæ adversa valetudine laborarem afficiebat. Dein talis relictis femora summo cruciati, ut neque sedendi, neque standi, neque jacendi facultas daretur, petebat, ut et somni¹⁰² omnisque quietis occasio facultasque mihi per aliquot noctes diesque negaretur.

Consultis medicis, podagræ initium omine principioque infelici esse suspicabantur. Denique Dei optimi maximi beneficio dolor¹⁰³ ille femoribus relictis talos repetiit, quo in loco hodie cum tumore molestia tamen tolerabiliori, cum spe restitutionis sanitatis adhuc hæret. Deus optimus maximus hoc a malo penitus liberare me dignetur. [47v]

Digna visu Patavii :

[*in marg.* : Patavium]

Patavium, urbs amplissima munitissimaque, academia pernobili florens, ob vetustatem maxime celebratur ; ab Antenore enim, Æneæ socio, eam primum ædificatam asserunt, cujus et sepulchrum in publico, ad parochiam Divi Laurentii, 4 columnis impositum ostentant, cui hoc epitaphium insculptum :

Inclutus Antenor patriam vox nisa¹⁰⁴ quietem
Transtulit huc Enectum¹⁰⁵ Dardanumque¹⁰⁶ fugas
Expulit Euganeos Patavinam condidit urbem
Quam¹⁰⁷ tenet hic humili marmore cæsa domus.

Habuit hæc urbs excellentes doctissimosque semper viros, quos partim et ipsa edidit, partim academia illa celeberrima aluit.

Inter reliquos tamen, Titum Liuium historicorum principem, cujus epitaphium in Prætorium translatum, summis ornamentis a Patavinis (eo in loco celeberrimo cujus amplitudine structuræque artificio, in Italia simile non reperiri omnes affirmant) erectum visitur.

Videtur et ibidem effigies ejusdem Livii marmore incisa, [48r] cum epitaphio quod hæc continet verba :

V. F.

102 B : somnii.

103 A : Dei opt(imi) max(imi) dolor.

104 A : nis.

105 B : Henetu(m).

106 A : Dardanis cumque.

107 A : quem.

T. LIVIVS.
LIVLÆ T. F.
QVARTÆ. L.
HALYS¹⁰⁸
CONCORDIALIS
Patavi
Sibi et suis omnibus.

Epitaphium hoc undique æreis ornamentis columnulis et tabula ænea ornatum est, cui insculptum :

Ossa tuumque caput, cives tibi maxime Livi,
 Prompto animo hic omnes composuere tui
Tu famam æternam Romæ patriæque dedisti,
 Huic oriens, illi fortia facta canens
At tibi dat patria hæc etsi majora liceret,
 Hoc totus stares aureus ipse loco.

T. Livius quarto imperii Tiberii Cæsaris
 anno vita excessit, ætate vero
 suæ LXXVI. [48v]

Ad manum dextram ejus epitaphii egressus, januam quandam in frontispicio ejus portulæ lapide incisum :

OSSA.
T(iti). LIVII PATAVI NI VNIVS
O(MN)IV(M) MORTALIV(M).¹⁰⁹ IVDICIO DIGNI
CVIVS Prope invicto¹¹⁰ calamo
invicti. P(opuli). R(omani).¹¹¹ res gestæ
 conscriberentur.

Non longe ab ecclesia cathedrali, Titum Livium domum suam habuisse affirmant, quæ hodie adhuc nomen retinuit domusque Livii nuncupatur, in qua epitaphia, lapides inscriptionesque quasdam vetustissimas conspici licet.¹¹²

In vestibulo portæ meridionalis prætorii, conspicitur effigies Petri de Abano, mathematici et astrologii magisque¹¹³ insignis.

Visitur et in prætorio effigies Actiolini tyranni.

108 A : Halus.

109 A : HORALIV(M).

110 A : inivicto.

111 B : POPVLI ROM.

112 B : inscriptionesque vetustissimas conspici licet.

113 B : magisque.

Est præterea in urbe basilica Divo Antonio dicata perpulchra, sacello pulcherrimo ornata, ubi historiam Beati Antonii, quanquam ob mortem artificis imperfectam, marmore candidissimo, incredibili artificio incisam conspicerere licet. [49r]

In medio templi visitur statua effigiesque Petri Bembi cardinalis ad vivum, marmore ab artifice excellentissimo, sculpta.

Visuntur et in eo plurima cum monumenta, tum clarissimorum virorum epitaphia, maxime autem monumentum cum epitaphio Emeritæ Fulgusii¹¹⁴, eque regione Alvaroti præstantissimi jurisconsulti.

In area Divi Antonii videtur statua equestris ænea Erasmi Gattamelatæ a Veneta republica erecta, præstantissimi artificis manu ficta.

In ecclesia Divæ Mariæ Servorum cognominata, epitaphium clarissimi jureconsulti Pauli de Castro, ære incisum pulcherrimum, cujus et effigiem æneam ibidem conspicerere licet.

In templo Franciscanorum monachorum, Christophoro Longolio epitaphium¹¹⁵ a Petro Bembo erectum conspicitur, hæc continens :

Christophoro Longolio Belg(a)e Romana(m) Civitatem p(ro)pter eximiam in studiis literaru(m) p(ræ)stantiam adepto, sum(m)o ingenio, incredibili industria, o(mn)ib(us) bonis artibus p(ræ)dito, sup(ra) iuventæ an(n)os in q(u)a extinctus e(st), mag(n)o cum Italiæ dolore, cui ingentem spem sui no(min)is [49v] excitaverat Petrus Bemb(us) amico et hospiti posuit.

Te juvenem rapuere Deæ fatalia nentes¹¹⁶

Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo

Longoli tibi si canos seniumque dedissent.

In ecclesia monachorum Heremitanorum in qua¹¹⁷ et sepultura Germanicæ nationis visuntur perplura doctissimorum cum jurisperitorum, tum medicorum monumenta et epitaphia.

III

Hærens itaque Patavii, cum omnia illa studia, ob nimium æstum suspensa, undique feriæ agerentur quolibet secundum placitum, atque prout occasio commoditasque dabatur, hinc inde in varia loca, prout tempore feriarum studiosis moris est distracto, et mihi temporis tum¹¹⁸ commoditate sociorumque oportunitate oblata, tum recreandi animi, tum Italiæ visendæ gratia, Lombardiam, Italiæ partem pulcherrimam, Liguriamque perlustrare atque

114 A : fulgosque.

115 A : epitaphio.

116 A : me(n)tes ; B : mentes.

117 A : q(u)o ; B : quo.

118 B : tam.

invisere constitui. Domino Sifrido Pfintzing comite, hoc ordine sequenti, die¹¹⁹ 25 Septembris mensis Patavii discedentes, iter peregrimus.

Iter a Patavio Mediolanum :

Ex Patavio ad Vincenza

8 milia Italica [50r]

[*in marg.* : **Vicentia**]

Vicentia, urbs Venetorum reipublicæ parens, satis jucunda situ tamen fertilitateque quam pulchritudine ædificiorum nobilior.

Ornatur ecclesia cathedrali satis pulchra, in qua altare, varii generis marmore incrustatum pulcherrimum conspicitur.

Visitur et hortus canonici cujusdam in urbe perelegans, quem ferreis clatrulis septum, in eo per plurimas [*in marg.* : **Lombardia**] avium omnis generis species inclusas alere consuevit.

De Vicenza a la Torre de Confini

13

A Verona

17

[*in marg.* : **Verona**]

Verona, civitas ampla, nobilissimis ædificiis situque pulcherrima et munitissima, Alpibus finitima.

Athesis fluvius eam dividit pene mediam, nec tamen minus cingit quam dividit, ut custodiæ simul ornamentoque et subvehendis mercibus et frugibus magno sit usui Veronensibus quandoquidem ager circum circa præcipuæ est bonitatis maxime ea ex parte, ex qua lacum Benacum respicit, olei vim maximam, vinum, cedros omniaque genera frugum præstantissimorum ferens.

Habet pontes quosdam in urbe superbi operis, Athesi impositos.

Castra tria in urbe ; montosa enim est, nihilominus urbs [50v] ipsa munitissima fossis aqua inundatis latissimis, murorum crassitudine et portarum robore conspicua.

Ad radices castri Divi Bartholomei videre licet theatrum antiquissimum vel potius theatri ruinas, atque vestigia, ex quibus adhuc molis magnitudinem et magnificentiam clare deprehendere licet.

Est et in ea amphitheatrum (quanquam ruinosum, tamen omnium Italiæ adhuc perfectissimum opus cæteris quæ ubique extent, præter Romanum nunc Colosseum dictum), operis magnificentia conspiciendum, in 3 arcuum ordines mirandos divisum, infimus, medius et supremus altitudine incredibili extollitur, quorum unusquisque 72 continet arcus ; columnæ quæ arcus sustinent ex marmore Rhetico miræ crassitie¹²⁰ ; exterior paries, nobiliore marmore pulcherrimis statuis olim ornatus fuit ; totus jam minima parte excepta, concidit.

De cujus structura et dimensione Torellus Veronensis plurima libro 5 scribit.

119 B : die deest.

120 B : crassitei.

Perplura undique ea in urbe antiquitatum monumenta et vestigia inveniuntur, quorum idem Torellus amplissimam in libris suis de Antiquitatibus Veronensibus mentionem facit.¹²¹ Præcipue tamen in via maxima¹²² publica¹²³ vetustissimus arcus conscipitur, quem vulgus portam Borsari [51r] nuncupat ; varia de ea fabulantur, cui hæ literæ adhuc incisæ leguntur :

Colonia Augusta Verona nova Gallieniana Valeriano II et Lucillo¹²⁴ Co(n)ss(ulibus) Muri Veronensium fabricati ex die III Non(is) April(is). dedicati pr(idie) non(is) Decemb(ris) jubente sanctiss(imo) Galieno Aug(usto) n(ostro). insistente Aur(elio) Marcellino, V(iro). P(erfectissimo). Duc(e). cura(n)te Jul(io). Marcellino.

Plurimis perelegantibus Verona ornata est ecclesiis et templis, maxime cathedrali ecclesia non minus vetere decora ædificio, quam novo insignis, in qua diversarum specierum et candidæ et ruffæ variisque coloribus ita naturæ maculatæ ut pictoris manu depictas crederes, columnæ marmoreæ conspiciuntur.

In cujus ecclesiæ choro, ut vocant, arcula in qua eucharistiam conservare soliti sunt, vario opere prætiosissimis 4 statu is æneis angelorum, miro artificio fabrefactis, eam sustentantibus conspicitur.

In publico juxta prætorium ad Sanctæ Mariæ Antiquæ fanum monumenta quædam superbi operis, in formam pyramidum extructorum cum Canis Magni cognominati Scaligeri, qui imperium Veronense usurpaverat, tum Mastini aliorumque ejusdem [51v] Scaligerorum familiæ marmoreis undique statu is ornamentisque ornata videntur.

In templo a Sancto Terme (*sic*) dicto, mausoleum cum marmoreis tum æneis imaginibus affabre insculptis privatam, nobilis cujusdam familiæ Veronensis cum sumptuosissimum tum pulcherrimum visitur.¹²⁵

De Verona a Peschera 18 milia.

Piscaria, oppidum cum castro a Scaligeris olim Veronæ dominis in fauces Benaci lacus, Italiæ celeberrimi, vulgo lago de Garda nominato, in ipso emissorio Mintii amnis extructum, quotidie a Venetis, quorum imperio subditum, munitius efficitur.

De Peschera a Luna 11

De Luna a Bressa 15

[*in marg.* : **Brixia**]

Brixia, vulgo Bressa dicta, urbs ampla, ædificiis perpulchra, arce munitissima in qua Veneti, quibus urbs ipsa subjecta est, præsidium firmissimum tenere consueverunt, munitur in rupe satis prærupta murorum ambitu inclusa, cum et urbs ampla ipsa¹²⁶ montibus vicina, scaturientium inde rivulorum undique summa cum voluptate alluantur.¹²⁷ [52r]

121 A : fecit.

122 AB : maxime.

123 B : Repub.

124 *sic pro* : Lucilio.

125 A : cum sump : (*vacat*).

126 B : ampla *deest*.

127 B : alluatur.

Ornatur prætorio (quanquam nondum perfecto) marmoreis columnis, ornamentis, statuis, imaginibus antiquorum Imperatorum¹²⁸ vetustissimorum ornato.

Ad cujus forum, undique domorum parietibus marmora¹²⁹ tabulasque veterum Imperatorum inscriptionibus signatas¹³⁰ vetustissimas conspiceret licet.

De Bressa a Orzi

15

[*in marg.* : Orsi]

Orzi novum cognomento¹³¹, ad differentiam alterius quod vetus dicitur ; non longe inde distante oppidum a Venetis¹³² incredibili munitione munitum conspicitur.

De Orzi ad Soncinum, oppidum maxime populosum atque dives, quod Carolus V Imperator in marchionatum erexit¹³³, constituens marchionem Maximilianum Stampam Mediolanensem.

De Soncino¹³⁴ Cremam venimus, computando : de Orzi Cremam sunt milia

15

[*in marg.* : Crema]

Crema, non longe a Seria flumine sita, haud ampla verum, totius Venetæ reipublicæ ditionis munitissima, pulchra satis atque jucunda, in qua et arx satis munita conspicitur, a Friderico Barbarossa Imperatore post [52v] afflictam Cremonam (*sic*) in ejus civitatis damnum opprobriumque ædificata.

De Crema a Lodi

11

[*in marg.* : Lauda]

Lauda urbs, a veteribus Lauda Pompeia nominata, quæ autem a Mediolanensibus plane diruta, 3 milliariibus a veteribus ruinis. Laudam, nunc florentissimam urbem, Fridericus Barbarossa Imperator, Mediolano destructo, erexit atque ædificavit, situ ædificisque pulchra, conspicitur. Mediolanensi duci nunc paret.

De Lodi¹³⁵ a Marignan

9

De Marignan a Milano¹³⁶

10

[*in marg.* : Mediolanum]

Mediolanum, urbs Italiæ amplissima, ditissima et pulcherrima, miro concursu omnium nationum mercaturarum omniumque manualium artium opificum genere abundans, ædificiis cum publicis tum privatis sumptuosis conspicua. Arce enim mira murorum crassitudine, fossarum aqua inundatarum latitudine profunditateque, vallium robore omnisque generis bellicorum instrumentorum instructu¹³⁷, triplicique murorum ordine,

128 A : Imperator.

129 A : marmoria.

130 B : signatis.

131 B : cognomen.

132 B : Venetiis.

133 B : evexit.

134 B : Sonino.

135 B : Ladii.

136 A : a Milano *deest*.

137 B : instructum.

atque incredibili munitione instructa, munitur, ob inexpugnabile ejus robor toti Europæ satis famosa est.

Ornatur civitas ecclesia cathedrali insigni pulcherri- [53r] -maque, inter sumptuosissima Europæ ædificia merito numeranda, cujus columnæ marmoreæ, parietes pavementumque templi, marmore candidissimo incrustata, undique statuis artificio mirandis sculpturisque sumptuosissimis ornantur, cujus operis magnitudinem, pulchritudinem sumptusque incredibiles, quanquam nondum absoluto, non satis mehercule mirari licet.

Viva¹³⁸ ejus delineatio quam si ad finem perducetur habitura sit, apud opifices ejus operis visendi data nobis est copia.

Est in ea epitaphium Martini 5 Pontificis Maximi, ad cujus latus dextrum monumentum Caraccioli cardinalis, Insubriæ pro imperatore gubernatoris, ex marmore nigerrimo splendido, statuis aliquot ex marmore candidissimo ornatum, aspectus jucunditate decoreque pulcherrimum sumptuosissimumque¹³⁹ conspicitur.

Non longe ab hoc monumento videtur sepulchrum Joannis archiepiscopi et ducis Mediolanensis qui et ecclesiasticum sæculareque imperium tenuit, ex marmore ruffo, epitaphio elegantissimo ornatum.

In choro (ut vocant) ejusdem ecclesiæ, in sublimiori loco columnarum ordine affixos sarcophagos, panno aureo tectos in quibus cineres ducum Mediolanensium [53v] atque marchionis de Vasto præstantissimi Imperatorii¹⁴⁰ exercitus ducis Insubriæque pro Regis asservantur videre licet.

In cujus fornix summitate, clavum cum quo Salvator Noster Christus cruci affixus ; Constantinus Imperator frenum equo suo ex eo confecerat, eum affixum eundemque a Theodosio Imperatore Divo Ambrosio Mediolanense episcopo dono datum¹⁴¹ affirmant.

Non longe ab hac ecclesia, in officina templi statuariorum et lapidarum, statuam Adami marmoream ob artificium prætio inæstimabilem artificis manu doctissima sculptam, satis tamen antiquam nobis ostenderunt.

Visitur in urbe hospitale pauperum seu xenodochium, Italiæ famosissimum pulcherrimumque, mira copia ordineque concamerationum sumptibusque maximis extractum.

Est et extra urbem domus, cum spaciosissima tum pulcherrima, Lazaretum nuncupata¹⁴², in qua¹⁴³ temporibus ob pestem periculosos eos hac tabe infestos¹⁴⁴, ne id venenum longius serpat, a reliquo hominum coitu¹⁴⁵ secedere Mediolanenses¹⁴⁶ cogunt.

Est in urbe monasterium Divo Ambrosio, patrono urbis, olim Mediolanensi episcopo, dicatum, cum vetustate [54r] tum novis ædificiis conspicuum. Herculi olim dicatum fuisse monachi affirmabant, cujus imaginem, marmorea tabula incisam, ad unam ex ecclesiæ

138 A : Vivae.

139 A : sumptuosq(ue).

140 A : imp.

141 AB : dona datum.

142 AB : nuncupatum.

143 AB : quod.

144 AB : infectos.

145 AB : caetu.

146 B : Mediolanensi.

columnis affixam, canem caude leva¹⁴⁷ cum manu tenentem, dextra lævata scipione ictum minitantem, facie juvenili, pelle ovina vestitum, nobis ostendere ; verum historicorum opinione in eorum sententiam eam efficit. Scribunt enim Mediolani a Maximiliano Imperatore Hercule quondam dicto, amplissimum templum in honorem Herculis exercitatum¹⁴⁸ fuisse, idemque esse quod posteriores Divo Laurentio martiri dicaverunt, affirmant. Cujus templi propylei sive peristili sedecim adhuc extant striatæ columnæ operis antiqui vestigium.

Visitur et serpens æneus, columna marmorea impositus, quam eundem¹⁴⁹ quem Moyses in deserto erexerat esse affirmant, a Theodosio Imperatore Divo Ambrosio donodatum.

Ostendere et monachi eodem in templo sepulchrum Desiderii, ut aiebant, ultimi Longobardorum Regis, cum tamen eo in monumento nulla id indicantis vestigia extent, certum est Carolum Magnum eundem Desyderium proelio victum captumque in Galliam exulatum misisse. [54v]

Visitur et ibidem altare Divo Ambrosio sacrum, quatuor columnis porphireticis crassissimis atque pulcherrimis septum, quod laminulis aureis undique incrustatum, sumptuosissimum conspicitur.

Prope organum ejusdem ecclesiæ, Divi Ambrosii ad vivum depicta effigies videtur.

In ejusdem ecclesiæ monasterio, a monachis visendi nobis est data copia, libri vetustissimi trium digitorum crassitudinis qui Josephi historici de bello Judaico libros 8 continebat, cujus folii ex cortice arborea pereleganter et polite confecti ; historia literis lombardicis vetustissimisque abbreviationibus scripta, ut vix unum alterumque nobis verbum legere licuerit, res certe ob antiquitatem notatu digna.

Ostenderunt et iidem monachi pateram sive scutellam ligneam¹⁵⁰ argenteis laminulis obductam ; lignum enim et vetustate consumptum et vermibus exesum erat ; ex ea Divum Ambrosium potum sumpsisse affirmabant.

In eadem Ambrosii aede conspicitur mensa quæ latissima hac inscriptione est, quam propter vetustatem descripsi, hucque inserui : [55r]

C. PLINIUS L.F. O.V.F. CÆCILIVS AVGV R LEGAT ; PROC. PR. PRO'VI'NCIÆ PONT. CONSVLARI POTESTATE IN EAM PROVINCIAM 'ET' IMP. CÆSAR 'NE' RVA TRAJANO AVG. GERMAN. CVRATOR ALVEI TIBERIS, ET RIPAR(um), ET PRÆFECTO PRÆ ÆRARII SATVRNI PRÆF. ÆRARII MILIT. LEG. VI GALLICÆ X VIR. S.T. LITIB. IVDICAND. THERM. ADIECTIS IN ORNATVM HS CCC. ET HOC AMPLIVS IN TVTELA HS CC T. F. I. ET IN LIBERTOR(um) SVOR(um) NOMINIB. SESTERTIA LXVI DEDIT CENTVM QVINQVAGINTA SEX. REI incrementum postea ad Epulum pleb. urbanæ voluit pertinere. Hoc amplius dedit in alimenta puerorum et puellarum plebis urbanæ sestertia trecenta in tutelam bibliothecæ sestertia centum et c(ætera).¹⁵¹

147 B : candalma.

148 B : excitatum.

149 A : quae in eundem ; B : q(ua)m eundem.

150 A : lingneam.

151 Nous avons reproduit la version du ms B. Le ms. A donne la copie suivante : C. Plinius L.F.G.V.F. Caecilius Aucie Legat. Proc. Pr. Provinciae Pont. Consulari Potestate in eam Provinciam 'et' imp : Cæs : nerva Traiano aug : German : Curator. Alvei Tiberis. et ripar(um) Et praefecto Praeærarii Saturni Praef : aerarii milit. Leg : vi. Gallicae. x. vir. st. Litib. judicand. Therm : adjectis in ornatum HS CCC : Et hoc amplius in Tutela. HS cc. T.F.I. Et in Libertor(um) suor(um) nominibus sestertia XVIII LXVI Dedit Centum Quinquaginta sex Rei incrementum postea ad Epulum pleb : Urbanae voluit pertinere. Hoc

Cum complurimæ hinc inde undique marmorum antiquorum, vetustissimarum inscriptionum epitaphiorumque per urbem inveniuntur, reliquiæ et fragmenta inter cætera tamen Valerii Maximi historici, epitaphium hac inscriptione legitur, marmore incisa :

M. VALERIVS MAXIMVS SACERDOS D. S. I. M. [55v] STVD. ASTROLOGIÆ SIBI ET SEVERIÆ APR. VXORI H. M. H. M. S.¹⁵²

Alio in loco tumulo insculptum :

D. M. EPITVNCHAM M. M. SER. CISALPIN. ET TRANSALPIN PATR. NAVT. COMES. HÆRED. FAC. CVR¹⁵³

E regione ædis Divi Ambrosii aliud Francisco sacrum est templum vetustum at satis pulchrum, in quo monumentum ex marmore candido, familiæ Mediolanensis cujusdam nobilis pulcherrimum conspicitur.

Visuntur et Mediolani perplures sumptuosissimæ pulcherrimæque cum ecclesie tum hinc inde per urbem sparsa monasteria, quorum omnium meminisse ob copiam et varietatem non licet ; inter precipua vero sumptuosissimaque ædificia¹⁵⁴ visitur ecclesia pulcherrima, sed nondum perfecta, Sancta Maria ad Divum Celsum dicta, marmoreis columnis, quorum bases et capita ænea, quam eleganter et artificiose ornata.

Monasterium Dominicanorum Sancta Maria de Gratia dictum, non longe ab urbis arce situm, in quo bibliotheca libris refertissima Europæ maxime famosa custoditur ; in templo sepulchrum Ludovici Sfortiæ, quanquam [56r] imperfectum attamen pulcherrimum conspicitur, etsi eo monumento corpus ejus non conditum fuerit, cum id Gallia ubi et exul periiit, retinuerit.

Vicinum et huic aliud perpulchrum conspicitur monasterium.

In ecclesia Sancti Nazari monumenta nobilissimæ familiæ Trivultiæ¹⁵⁵ conspiciere licet.

Est et monasterium pulcherrimum dictum Monasterio Maiore.

Templum Sanctæ Teclæ sacrum, olim Minervæ fuit templum in orbe¹⁵⁶ famosissimum.

In veteri palatio, quod vulgari lingua *la Corte Vecchia*¹⁵⁷ nuncupatur, est sacellum Divo Gothardo¹⁵⁸ sacratum, in quo quorundam vicecomitum Mediolanensium nobilissima antiquissimaque sepulchra conspiciere licet.

Commorati Mediolani sex diebus, Genuam versus iter aggressi sumus.

amplius dedit in alime(n)ta puerorum et puellar(um) pleb : urbanae sestertia trece(n)ta in tutelam bibliothecae sestertia centum et c(aetera).

152 Nous avons reproduit la version du ms. B ; var. de A *in fine* : H. M. H. N. S.

153 Nous avons reproduit la version du ms. B ; variantes du ms. A : sercisalphin et Transalpin.

154 B : aedificium.

155 AB : Triultiae.

156 B : in urbe.

157 A : la Corte Vecchia.

158 B : Gotthardo.

Iter ex Mediolano Genuam :

De Milano a Benasseque ¹⁵⁹	10 milia
De Benasseque ¹⁶⁰ a Pavia	10

[*in marg.* : **Papia**]

Antequam Papiam pervenissemus, a communi itinere deflectentes, ad manum sinistram, orientem versus [56v] 2000 passibus, monasterium Carthusiensium ordinis superbissimi operis Italiaeque totius famosissimum invisimus ; quod aedificium mira pulchritudine amplitudineque conspicuum, et templo marmore candidissimo incrustato ; status sculpturisque et artificio et copia mirandis ornatur, in quo altare ex ebore historia utriusque Sacri Testamenti, manu artificis doctissimi quam elegantissime sculpta, cum duabus cistis¹⁶¹ seu arculis ejusdem materiae¹⁶² pretiosissimae visitur.

Est et in eo¹⁶³ sepultus Joannes Galeatius, primus dux Mediolanensis, ejusdem Carthusiae fundator, cujus monumentum ex marmore candido perpulchrum, cum epitaphio videre licet.

Qui idem dux et parcum illum seu vivarium, a monasterio illo Papiam usque muro lateritio inclusit, cujus circuitum octodecim mille passus excedere aiunt ; praelio illo Papiense in quo Franciscus Gallorum Rex a Carolo V Imperatore captus fuit, nobile ubi et variis in locis a militibus irrumpentibus muri prostrati vestigia apparent.

In quo et Mirabellum, sic enim aestuarium dicitur, domus jucunda in quam duces olim Mediolanenses venatione defatigati secedere consueverant, et locus in quo Franciscus Rex captivitate traditus fuisse¹⁶⁴ visitur. [57r]

Papia, ab antiquis scriptoribus Ticinum¹⁶⁵ dictum, olim cum Longobardorum Regum, tum ducum Mediolanensium sedes jucundissima enim in loco sita, Ticino fluvio¹⁶⁶ alluitur, ab iisdem Regibus et ducibus aedificiis palatiisque sumptuosissimis ornata erat, bellis vero novissimis a Gallo maxime ob memoriam captivitatis suae adhuc recentem oppugnata, inque deditionem accepta, aedificiis murisque dejectis, eam vastatam reddidit, ut jam tota undique ruinosa conspiciatur.

Arcem¹⁶⁷ in ea adhuc satis integram, murorum crassitudine, turrium copia, antiquiore structura insignem, a Joanne Galeatio vicecomite aedificatam conspiciere licet.

Conservantur in templo Divi Petri in Caelo Aureo cognominato ossa Beati Augustini a Luitprando Longobardorum Rege ex Sardinia Papiam translata, in cujus honorem

159 B : Benascque.

160 B : Benascq(ue).

161 A : cistri.

162 B : materiaeque.

163 B : in ea.

164 B : traditus fuit, visitur.

165 B : Ticinium.

166 A : Ticinio fluvio ; B : Ticino fluvius.

167 B : Arcam.

monumentum¹⁶⁸ candidissimi marmoris, magno artificio ac sumptibus, extruxere. Ubi et effigiem ejus ad vivum depictam nobis ostendere.

Non longe ab hoc monasterio est domus seu area¹⁶⁹ potius tecta quædam, centum plusve passuum longitudine, ad quem primum usum¹⁷⁰ ædificata fuerit, incertum est, hodie pila manuarum ludere in ea consueverunt ; ad cujus portam et introitum, si quis emissa [57v] voce clariore clamorem ediderit, echo sæpius ad unum sonitum, duodecies et quindecies respondisse compertum habuimus, quo enim acrius quavis¹⁷¹ vocem ediderit eo sæpius responsum iterare consuevit. Res profecto notatu digna.

Videtur Paviæ statua ænea, vulgo *Regisole*¹⁷² dicta, de qua historici scribunt, eam a Theodorico Rege Ostrogothorum, arte magica factam, effigiem suam referentem.

Ravennæ columnæ impositam erexisse, nomenque illi Rex Solis indidisse, quam cum Carolus Magnus in Galliam deferri curasset, Papiam usque translata, ibidem hodiernum usque in diem remansit.

Visitur et ea in urbe turris lateritia, igne pene consumpta, turrim Boetii nuncupatam, de qua varia vulgus fabulatur¹⁷³, veritatem ipsam, haud mihi tum investigare licuit, certum Boetium Papiæ sepultum esse an vero eo conditus sit, ignoro.

Jason jureconsultus, professor academici Papiensis, quæ olim maxime floruit, nostraque memoria Andrea Alciato celebrata fuit, non longe ab urbe sepultus, cujus et ædes satis sumptuosas adhuc conspici licet.

Baldus juris doctissimus interpres, apud Fratres Minores sepultus est. [58r]

In æde Divæ Epiphaniæ Andreas Alciatus conditus est, monumento perpulchro, quod post mortem ejus hæredes condiderunt, cum hoc epitaphio :

D(eo). O(ptimo). M(aximo).

Andræ Alciato Mediolanen(s)i Jurecons(ulto) Comiti prothonotario. Apostolico Cæsarioq(ue) senatori

Qui omniu(m) doctrinar(um) orbem absolvit. Prim(us) legum studia antiquo restituit decore.

Vixit annos LVI mens(es) VIII. dies IIII.

Obiit Pridie Idus Januarii M.D.L.

Franciscus Alciatus. I.C.H.B.M.P.¹⁷⁴

Prope hanc ecclesiam et domum ejusdem Alciati, bibliothecam instructissimam effigiemque suam ad vivum depictam videre licet.

De Pavia a Voghera

15 milia

168 B : in cujus momentum.

169 B : arca.

170 B : usum primum.

171 B : quís. Il semble bien ici que B ait été copié sur A, car *quís* (avec un accent circonflexe sur le i) de B rend la forme *quís* de A surmontée d'un a suscrit pour *q(u)a*vis, où a peut effectivement être confondu avec un accent circonflexe.

172 A : Regisolo.

173 B : varia vulgo fabulantur.

174 B : I.C.H.B.M.B.

Voghera, oppidum ad Stafforam¹⁷⁵ situm torrentem, opulentissimum ab antiquis Vicus Iriæ dictum.

De Voghera a Tortona 10

Dertona latine dicta, civitas ad radices Apennini sita, vetustissimis ruinis plena, habitatoribus rara propter inextinguibiles¹⁷⁶ civium discordias, olim a Friderico¹⁷⁷ Barbarossa Imperatore vastata, arce rupi insita munitur. [58v]

De Tortona a Seravalle 13

Oppidum ad Scriviae fluvii sinistram¹⁷⁸ situm¹⁷⁹, olim a Philippo Mediolanense tertio duce, Genuensi patritio dono datum, ad radices Apennini conditum ; quo in loco Liguria initium sumit.

[*in marg.* : Liguria]

De Seravalle a Arqua 2

De Arqua a Bousare 14

De Busare, Apennini jugum transcendentis, Genuam pervenimus.¹⁸⁰

De Busare a Genua 14

[*in marg.* : Genua]

Genua, in Ligustici maris littore, ad radices montium, inter rupes sita, ut planitiem quandam et montes simul occupare videatur. Urbs nobilissima, aedificiis palatiisque pulcherrimis regalibusque ornata, quod et nomen undique per Italiam superbæ Genuæ sibi acquisierit.

Portu navigationibus commodo mercaturisque clara hodie est, olim mari terraque potentissima cum plurimas Asiæ Europæque insulas urbesque possederit, fuit, hodie unica Corsica insula vix restat.

Civitas ipsa, aspero loco sita, parum nisi quod labore elicitur, fertili oleis, cupressis, cedris, malis punicis aureisque solum ejus abundat, jucundo mehercule omnibus visu suburbia hortis palatiisque jucundissimis ornata, miram pulchritudinem [59r] deliciasque exhibent. Urbs Indies Indiesque mirum in modum munitur, ut inexpugnabilis fieri nisi situs illi obsit ab omnibus judicetur. Ad jugum montis, castrum exiguum at munitissimum conspici licet, præsidio Genuensium munitum, quo in loco et Ludovicus 12 Rex Galliae, occupata Genua, arcem *la Briglia* nominatam extruxit munitissimam : Briglia enim lingua vulgari dicitur, latine frenum ; cum quo freno se equum illum superbum ferocemque astricturum aiebat, ne superiori suo toties recalcitrare queat, quæ munitio deinde a Genuensibus, recuperata libertate, funditus destructa est.

A Jano Rege Italiae primo, eam primum fundatam asserunt, cujus et effigiem marmoream vetustissimam in cathedrali ecclesia ostendunt.

175 B : Stafferam *vel* Staffeiam.

176 B : inextinguiles.

177 B : Federico.

178 A : sinistrum.

179 B : sinitum.

180 B : paravimus.

Ubi et tabula aenea mirae antiquitatis conspicitur, anno Domini 1507¹⁸¹ ab agricola quodam inventa, cuius principium solum annotare volui, cum inscriptio illa sit amplissima variisque in locis scriptorum descripta inveniatur.

Q. M. Minuteis. Q. F. Rufeis de Controversieis¹⁸² inter Genuateis et coram inter eos con(tro)versias composueru(n)t, ex qua lege agrum possiderent et qua fineis fieri(n)t¹⁸³, dixerunt eos fineis¹⁸⁴ facere [59v] terminos q(uæ) statui jusser(un)t, ubi ea facta essent.

Romani cora(m) venire jusser(un)t Rom : cora(m) sententiam ex Senati Consulto¹⁸⁵ dixer(un)t. Idib(us) Decemb(ris) L(ucio) Cæcilio Q(uinti) F(ilio), Q(uinto) Minutio Q(uinti) F(ilio) Cos. Qua ager privatus castelli Viturior(um)¹⁸⁶ est. que(m) agrum eos vendere, hæredemq(ue) seq(ui) licet. Is ager vectigaluei¹⁸⁷ fiet. Langatium fineis agri privati ab rivo infimo¹⁸⁸, q(ui) oritur ab fonte in manicelo¹⁸⁹ ad floviu(m) infimo eidem ibi terminus stat¹⁹⁰, inde flovio Suso¹⁹¹ vorsum in flovium Lemurum, inde flovio Lemuri Susum usq(ue) ad rivum Combera(ne) et c(ætera).

Videtur et in eadem ecclesia Divi Johannis Baptistæ sacellum, statuis marmoreis artificio sculpturaque insignibus ornatum, in quo ejusdem Divi partem cinerum cum catino smaragdino inæstimabilis prætii, olim a Gothefrido, rege Hierosolymitano Genuensibus dono dato asservari aiunt.

Magnum nostris temporibus¹⁹² huic urbi nomen attulit ; inde oriundus Andreas Doria princeps Melfensis qui alterius nostro sæculo Neptuni nomen apud omnes gentes meruit, cujus nobis visendi alloquendique facultas fuit data. Senio heros ille confectus maxime affabilem se nobis præbuit. [60r]

Visitur in area Prætorii statua in honorem ejus marmorea, bellico antiquo habitu, laureata¹⁹³, Turcas tres catenis vinctos, pedibus conculcatos habens, a republica Genuense supra basim quadratam marmoream erecta, opus mehercule artificio pulcherrimum.

Visuntur et ædes ejusdem principis in urbe, pulcherrimæ hortis jucundissimis omnium generis arborum fructuumque maxime autem cedris, malis aureis puniceisque refertissimis.

E cujus palatii regione, hortorum quatuor ordines rupi magno labore, sumptu artificioque incisi, ita ut quisque arboris altitudine¹⁹⁴ ad montis cacumen usque scalarum forma

181 B : 1501.

182 B : controversiis.

183 B : fierent.

184 B : fines.

185 B : ex Senaticonsultu.

186 B : Tituriorum.

187 B : ager vectigalieni.

188 A : rivo infinio.

189 B : qui oritur in manicelo.

190 B : ad fluvium eidem ibi terminus stat.

191 B : inde fluvio Suso.

192 A : nostris temporibus.

193 B : laurenta.

194 B : altitudines.

vergentibus alterum superet, qui inter se distincti murorum vice per naturalem petram¹⁹⁵ quasi contagione in superficie¹⁹⁶ ipsa in altum, ad superiorem suum usque¹⁹⁷ hortum elata, magna cura et arte, cedris aureorumque malorum arboribus, estate hyemeque virentibus, fructuumque semper copia abundantibus summa cum voluptate videntium, contegitur.

Non longe ab his hortis, privata quadam in domo, [60v] fontem pulcherrimum vidimus, qui forma rotunda fornicatus, cujus muri ornamenta statuæque ex diversarum specierum et colorum conchylis, tam artificio perpulchro incrustatæ erant, ut coloribus artificialibus manuque pictoris depictas esse omnes judicaremus, res certe pulchra. Reliqua mirandu digna quæ ad ornatum ejusdem fontis facta conspiciere licebat (ut rupes aquæ vim evomentes, antra artificialia, naturam mirum in modum imitantia, statuas aquam hinc inde spargentes petras aquam pluviarum in modum extillantes, arbores reliquaque artificio tam excellenti facta, ut natura artificii nobis dubium proposuerit), ob copiam et varietatem enarrare haud possunt, res mehercule cum ob artem et sumptus, tum pulchritudinem et jucunditatem digna visu.

Vidimus et in templo quodam exiguo cujus nomen mihi excidit, attamen perpulchro monumentum cum mausoleo principis Andreae de Auria sive Doria ex marmore candidissimo cum arte tum pulchritudine conspicuum.

Non longe ab hoc fano, ædes sumptuosissimæ conspiciuntur, a Genuensi republica ipsi principi¹⁹⁸ [61r] donodatæ, in quarum peristylis hæc scripta leguntur :

ANDREA DE AVRIA P.P.S.P.Q.G.D.D.

Visuntur et inter præcipua urbis ædificia, ædes Antonii Doriæ sumptuosissimæ (cum plurima tamen undique superbissima palatia cum in urbe, tum in suburbiis¹⁹⁹ videantur, maximi laboris et memoriæ enarranda omnia esse duxi) introitu aspectuque regali, et conclavibus pulcherrimis ornatae.

In quibus statuam marmoream vetustissimam pulcherrimamque justam hominis magnitudinem excedentem mimi habitu induta²⁰⁰, vidimus, quæ Neapoli in domus cujusdam fundamentis extruendis, e terra eruta, ab Antonio Doria Genuam translata in hortis suis erecta est ; literis Romanis perpulchris notata, hanc gerebat inscriptionem :

P. ÆLIVS²⁰¹ AVG. LIB.²⁰² PYLADES PANTOMIMVS²⁰³ HIERONICA INSTITVIT L. AVRELIVS AVG. LIB. PYLADES HIERONICA DISCIPVLVS CONSVMAVIT.

195 B : petrae.

196 AB : quasi contagionem superficie.

197 B : summusque.

198 B : republica principis.

199 A : suburbiis.

200 B : inducta.

201 A : Paetius.

202 B : TIB.

203 A : Pantominus.

Commoratus Genuæ aliquot diebus, instruebatur enim tum temporis classis triremium 34 naviumque onerariarum 28 quæ duce ipso Andrea Doria in Corsicam trajicere debebat, ad Gallos, cum Turca qui ante aliquot menses optimam insulæ partem occupaverant [61v] expellendos, verum ob temporis angustiam discessum eorum haud expectantes discessimus; resumpto eodem itinere quo veneramus Vogheram usque, Apennino superato, inde per aliud iter Patavium repetivimus.

Iter ex Genua Patavium :

A Genua Vogheram itaque sunt millia	53
De Voghera a Chiestezo	5
De Chiestezo a Stradella	10
De Stradella al Castello di Sto Giovanni	5
Castrum Sancti Joannis, sic nominatum est oppidum jucundissimum atque dives, atque ad Avantum torrentem qui inde Trebiam fluvium illabitur situm, a Clemente 7 pontifici maximo Laurentio secundo Salviato ²⁰⁴ donodatum.	
De Castello Sancti Joannis a Piasenza	12

[*in marg.* : **Placentia**]

Placentia, urbs Lombardiæ munitissima, ampla atque jucunda, academia quoque ornata, verum non admodum hodie celebri, ad ostium Trebiæ fluvii ubi Padum illabitur, sita, qui fluvius pugna illa Trebiana inter Hannibalem et Romanos maxime nobilis est, cujus pugnae locus paulo supra Placentiam visitur. Urbs est munitissima, ut jure hodie munitissimis Italiæ urbibus adnumerari queat.

Habet et castrum munitionum robore inexpugnabile, a Petro Aloysio Fregosi (*sic*) [62r] Placentiæ Parmæque tiranno, Pauli tertii Pontificis Maximi filio (qui ob enormia ejus vicia a civibus quibusdam Placentinis conjuratis, in conclavi palatii sui, vulgo Citadella dicto, trucidatus, ejus cadaver e fenestra præcipitatum²⁰⁵, plebi furienti uncinis per publicas urbis vias trahendum, traditum fuit) ædificari cæptum, nunc vero a Carolo [*in marg.* : Imperatore cujus] imperio cum ducatu Mediolanense paret, ad finem perducitur.

In Palatio urbis, aquilæ vivæ magnitudinis extremæ nobis visendi data est copia.

De Piasenza a Cremona millia	18
------------------------------	----

Mille forsan passibus a Cremona, Padum fluvium trajecimus.

[*in marg.* : **Cremona**]

Cremona, urbs ampla atque populosissima²⁰⁶, non longe a Padi ripa sita. Cum civitas per se non admodum sit munita, arce fortissima, præsidio Hispanico eam tuente, munitur.

Ornatur ecclesia cathedrali perpulchra turrique campanaria²⁰⁷ eminentissima, cujus similem in Italia haud esse aiunt.²⁰⁸

204 B : Laurentio Salviato.

205 A : præcipitatum.

206 A : populoss.

207 B : companaria.

208 B : esse haud aiunt.

Videtur et in ea²⁰⁹ monasterium Divo Petro dicatum et superbissimum et opere impensaque sumptuosissimum.

De Cremona a Marcheria

26

De Marcheria a Mantua

1 [62v]

[*in marg.* : Mantua]

Mantua, civitas ampla, munita, et aspectu jucundissima, viis publicis latissimis miroque ordine platearum æqualitateque ædificiorum decora, palatiis insignis conspicitur.

Haud procul a Benaco lacu sita est, ex quo Mintius amnis²¹⁰ fluit, qui exundans Mantuam usque labitur, ibique lacu facto urbem²¹¹ circuit eamque in medio aquarum constituit. Unde situ omnium Italiæ urbium munitissima dicitur.

Poetarum clarissimo illustrissimoque principe Vergilio Marone gloriatur Mantua, cujus et effigiem marmore sculptam ad prætorium ostentant ; natus est duobus millibus a Mantua, in villa ut dicitur *Petula* hodie dicta.

Visitur in ea templum Divo Petro dicatum, marmoreum pulcherrimum, nondum tamen ad finem perductum.

Visuntur et duo palatia ducum Mantuanorum²¹² quorum unum in urbe, alterum extra mœnia, *il Palagio del Te* nominatum, in quo æstivo tempore princeps commorari solitus est, quod pulcherrimum atque jucundissimum picturis insigne conspicitur.

Est in eodem æstuario seu palatio, conclave quoddam fornicatum fabulosa illa gigantomachia²¹³ depictam ; in cujus angulum, si quis voce submissa aliquid locutus fuerit, alium quempiam e directo alterius anguli muro aure adposit [63r] constitutum, singula per quam expedite audire percipereque posse, expertum habuimus, tertio quodam intermedio illis duobus constituto nihil plane percipiente, cum tamen loquenti tertius ille multo propinquior quam audiens ipse qui longius distat sit, opus mehercule cum visu dignum tum arte mirandum, merito omnibus videtur.

Non longe ab hoc palatio, in introitu ipso urbis, aliud Sancti Sebastiani cognominatum vetustissimum conspicitur palatium, in quo picturam quanquam vetustam, tamen perelegantem artificiosissimamque, 7 tabulas triumphi Cæsaris continentem, ab Andrea Mantegna excellentissimo pictore depictam, conspiciere licet.

In prætorio urbis quod *il Palagio de i Signori* nominant, asservatur thesaurus variarum divitiarum præciosissimarum ab Isabella, Francisci marchionis Mantuani conjuge, eum in locum dispositus, a vulgo *la Grotta* nominatur, quo magis conspicua hæc conspiciuntur :

Duo Cupidines quorum alter antiqua arte conspicuus, alter nostris sæculis manu artificiosissima sculptus videtur. Ibi et inter copiam ingentem vasorum cum aureorum tum argenteorum et cornu monocerotis ingentis magnitudinis et pulchritudinis ibi et organum ex alabastrite confectum, non absque concentu maxime sonoro conspicitur [63v]

Aliquot mille passibus ab urbe situm est palatium illud regale ducum Mantuanorum, Marmirollo dictum, cum opere tum artificio et sumptibus maxime conspicuum.

209 B : in eo.

210 B : ammis.

211 B : orbem.

212 A : Manticanorum.

213 A : Gygantomachia ; B : Gigantonachia.

Relicta Mantua, in Venetorum territorium reversi sumus. Mintius enim amnis fines Lombardiæ et Marciæ Trivisanæ Venetorum regionis constituit.

De Mantua a Senguine millia	18
De Senguine a Legnago	9
<i>Liniacum</i> a Latinis dictum, oppidum Venetorum munitissimum, Athesim habens fluvium perlabyrinthem, qui oppidum in duas partes dividit.	
De Legnago a <i>Betulaqua</i> (<i>sic pro</i> : Bevilaqua)	6
A Montagnana	3
Est oppidum Venetorum pulcherrimum.	
A Este	7
A Latinis <i>Ateste</i> et <i>Aste</i> dictum, unde Ferrariæ reguli nomen originemque traxere, verum ob bellorum motus huic familiæ per Venetos ademptum, illorum imperio hodie paret.	
De Este a Bataigle	10
A Padua ²¹⁴	7

Cum ad finem Octobris mensis Patavium reuersi fuis- [64r] -semus, per hyemem adhuc integram²¹⁵ ibi commoratus, revoluto jam anno 53 in Martio demum mense [*in marg.* : **annus Domini 1554**] anni Domini 1554, tota supellectile navi imposita, Padavii discessi, inde Venetias adveniens Paschalis festo ibidem moram trahens, demum tandem Bononiam petere animo constitui.

Discessi itaque Padavii 21 die Martii.

Iter ex Venetia Bononiam :

Venetiis navem die 29 Martii conscendentes, ad portum²¹⁶ Venetorum celeberrimum Malamocco²¹⁷ dictum pervenimus, sunt millia

10

In ipso littore naturali quod æstuarium, a mari furioso tuetur situs *Mathamaucum*²¹⁸ latine²¹⁹ dictum.

A Malamocco ²²⁰ a Chioza	15
-------------------------------------	----

Latine *Fossa Clodia* dictum, hoc oppidum est portus Venetorum commodissimum, in faucibus Medoaci²²¹ amnis ubi in mare exoneratur situm, qui fluvius divisus, alter vulgo Baichiglione²²² alter Brenta dicitur.

De Chioza per fossam arte manuque factam navigio vecti, a Loreo venimus.

A Chioza a Loreo	millia sunt	15
------------------	-------------	----

214 A : Padoa.

215 B : integrum.

216 A : portam.

217 AB : Malomocco.

218 A : Mathamacum.

219 B : hodie latine.

220 AB : Malomocco.

221 B : Mediaci.

222 B : Bachoglione.

A Popoze	18 [64v]
Hoc oppidum ad ripam Padi fluvii situm ; inde ex fossa in Padum intrantes Ferrariam usque super Padum vecti sumus.	
A Popoze a Frangelin	25
De Frangelin a Ferrare	5

[*in marg.* : **Ferraria**]

Ferraria urbs ampla, ædificiis pulchra atque viis publicis latissimis decora conspicitur. Habet arcem in foro urbis munitam, in qua dux Ferrariæ residere consuevit, quanquam et variis in locis et alia palatia æstuarique jucundissima amœnitateque refertissima habeat, hortorum mira pulchritudine jucunditateque ornata, inter quæ præcipuum locum obtinet insula ultro²²³ Padum sita (Ferraria enim brachio Padi fluvii meridionali adjacet, cum se Padus paulum supra Ferrariam dividit²²⁴, tribusque ostiis mare Adriaticum petat) nominata lingua vulgari *Belvedere*, hoc est “pulcher prospectus”, amœnitate hortorum, luci jucunditate, quo ornata est adeo decora et amœna ut domicilium proprium Musarum judicares, incuria vero ducis præsentis ad interitum pene vergens.

Est et Ferrariæ academia a Friderico II Imperatore instituta, maxime celebris, in opprobrium damnumque Bononiensium, quibus maxime infensus is Imperator erat, erecta privilegiisque dotata. [65r]

Ornatur et civitas ecclesia cathedrali tum amplissima²²⁵ cum²²⁶ vetustissima in qua rostra navium triremiumque²²⁷ et vexilla in pugna illa celebri anno Domini 1509 ab Hippolito cardinale Ferrariense captarum, a Venetis, in perpetuam memoriam nobilis illius victoriæ affixa conspiciuntur.

Videntur in foro duæ æneæ statuæ, ad introitum prætorii erectæ, quarum una sella insidens, altera equestris pacifico habitu, Nicolai marchionis Ferrariensis et Estensis effigiem denotat, qui anno Domini 1440 Mediolani diem ultimum clausit. Apud Carmelitas, sepulchro marmoreo, Guarinus Veronensis²²⁸ sepultus est.

De Ferrariâ navigio rursus vecti sumus²²⁹ Bononiam usque, partim per Padum, partim per Padusam paludem²³⁰, partim per Rhenum fluvium.

De Ferrariâ itaque quatuor sunt milliaria a la Torre de la Fossa²³¹ ad ripam Padi situm, inde relicto Pado, per canalem artefactum Bottifredum venimus, ubi Padusa palus initium sumit, durante ea Malabergo usque, inde tandem per canalem Rheni fluvii²³² Bentivolium vecti, demum Bononiam advenimus.

223 B : inter.

224 B : dividat.

225 A : campliss.

226 AB : tum.

227 B : triremiorumque.

228 A : Verronensis.

229 B : navigio vecti sumus.

230 B : per Padusam, partim.

231 A : Torre de la Fosse.

232 B : tandem per Rheni fl.

Sunt itaque ex Ferraria Bentivolium usque, castrum [65v] cum amplitudine tum munitionibus sumptibus²³³ ædificiis conspicuum, a Bentivolis Bononiæ aliquando tyrannis extractum, hodie habitationibus vacuum, millia

20

De Bentivoglio a Bologna

10

Venimus Bononiam die 3 Aprilis mensis anno Domini 1554. Ubi quamprimum curæ Elidæi medici me tradidi, qui satis spem bonam morbi mei repellendi iniecit. Deus optimus maximus finem optatum largiatur.

[*in marg.*: **Bononia**]

Bononia, urbs ad radices Apennini²³⁴, in medio viæ Æmiliæ²³⁵ sita, torrente Aviso mediam transeunte, ædificiis superbissimis conspicua cum publicis tum privatis maxime ornata est.

Floret et academia Europæ notissima atque celeberrima ob antiquitatem quoque maxime commendata²³⁶ a Theodosio Imperatore ea instituta summisque privilegiis post a variis Imperatoribus et Pontificis et tum temporis donata fuit.

Habet forum pulchritudine insigne in quo prætorium amplitudine Italiæ facile primarium²³⁷ conspicere licet, in quo legatus ab Ecclesia Romana (cujus imperio hæc urbs paret) ad jus populo dicendum missus residere, firmo prætoriano milite Helvetico eum tuente consuevit. [66r]

Eodem et in foro conspicere licet templum amplitudine insigne Divo Petronio patrono urbis dedicatum, in quo Carolus V Imperator a Clemente VII Pontifice Maximo coronam imperii, prout lapis quadratus inauratus ad prætorii portæ dextram²³⁸ edocet, accepit.

Visitur et in urbe turris insignis sublimitatis propter gracilitatem tamen maxime mirabilis, ex qua tum temporis cum Bononiam veneram in clatrata lignea cavea sacrificus quidam qui veneficia quædam cum sacrata²³⁹ ostia peregerat suspensus æstu pluvie omni que æris injuria, merito supplicio expositus conspiciebatur, quæ turris vulgo cognomine *Asinaria* dicitur.

Prope hanc et alia exigua inclinata, *la Torre Garisenda* dicta, quæ tali artificio extracta ut omnibus jam jam ruinam minitare, ipsoque in actu cadentis similis videatur.

Ecclesia cathedralis Divo Petro dicata, vetustate maxime insignis.

Divi Dominici monasterium jucundissimum atque pulcherrimum conspicitur, in cujus templo sepulchrum ejusdem Divi ex marmore candidissimo opere stupendo superboque admirando cælaturæ sculpturæque artificio extractum, in sacello eodem in tabellatis²⁴⁰ parietibus [66v] ex variis lignorum speciebus, opere musivo²⁴¹ seu mosaico, ut vocant, conspicuo in quo opere varii coloris ligni frustula adeo artificialiter glutino compacta Veteris

233 B : sumptibusque.

234 A : Apenini.

235 AB : Amiliae.

236 B : commendatam.

237 B : primarum.

238 B : dexteram.

239 B : sacrata.

240 A : tabulatis.

241 B : musico.

Novique Testamenti historiarum depictarum visuntur ut coloribus vivis manu pictoris artificiali penicillo depictum crederes, opus arsque mehercule nostri temporis admiranda.

Visitur eodem in monasterio bibliotheca insignis atque pulcherrima, quae et in numerum Italiae celeberrimarum librorumque copia instructissimarum locatur.

Ubi et Biblia a propheta Esdra manu propria (ut illi affirmant) supra corium²⁴² album scripta visuntur.

Est ornatum hoc monasterium plurimis variisque doctissimorum virorum monumentis atque variorum sepulchris pulcherrimis, ut superfluum omnes enarrare penitus mihi videatur. Inter praecipuos tamen marmoreo sepulchro, Tadeus Pepulus²⁴³ conditus est, qui olim imperium urbis hujus summo favore populi adeptus est, hoc epitaphio :

Tadeus Pepulus (*sic pro* : Pepulus) a populo Bononiensi eligitur M.CCC. XXXVII.

In ecclesia, monumenta horum celeberrimorum jurisconsultorum visuntur : Joannis Lignani, Joannis de Andrea, Johannis Calderini, Bartholomaei Salyceti, Alexandri [67r] de Imola Tartagni, Petri de Ancorano ex familia Farnesiana.²⁴⁴

Joannis Grotti Monteferrato.²⁴⁵

In monasterio Florianus de Sancto Petro, Dynus de Mugello, Cynus de Pistoia, qui tres²⁴⁶ uno sepulchro conditi esse dicuntur.

Johannes de Imola²⁴⁷, Hyppolitus²⁴⁸ Marsilius, Guilhelmus (*sic*) Zanetinus, Rolandus Pasagerius, Egidius Foscararus.

Asservantur et cineres eodem in monasterio²⁴⁹, Jacobi Petri (*sic*) Melaræ medici atque astrologi²⁵⁰ praestantissimi.

Templum cum monasterio Divo Francisco sacrum pulcherrimis marmoreis monumentis atque epitaphiis undique ornatum constat. Ante cujus templi fores, tres sepulturae in formam pyramidis erectae conspiciuntur, quarum prima cineribus Accursii glossatoris dicata, secunda Rollandi de Romantiis, tertia Ottofredi, jureconsultorum celeberrimorum.

In ecclesia monumentum Alexandri V Pontificis Maximi Cretensis²⁵¹ natione visitur.

In monasterio Servorum dicto, sepulti jacent Joannes de Anania et Ludovicus Gogiadivus, qui pulcherrimo monumento funeratus est, praestantissimi jureconsulti.

In ecclesia Sancti Johannis de Monte supra portam visitur sepulchrum Caroli Ruini jureconsulti. [67v]

In monasterio Sancti Salvatoris quod pulchritudine atque sumptu maxime conspicuum visitur, sepultus est Antonius de Rubera nominatus Codrus.

242 B : corum.

243 B : Pebulus.

244 B : Farnessiana.

245 B : Grotti de Monteferrato.

246 A : 3.

247 AB : de Incola.

248 B : Hypolitus.

249 B : in eodem monasterio.

250 B : Melare atque astrologi.

251 B : Crescentis.

In templo Sancti Jacobi quod heremitani incolunt monachi, videtur sacellum perelegans picturaque vetustiori insigne a Joanne II Bentivolio tyranno²⁵² Bononiensium extracto, cujus et equestrem statuam in eodem conspici licet, adjuncto epitaphio.

Eadem in ecclesia et aliud sacellum picturæ artificio ornatissimum novissime a cardinale Poggio Bononiensi extractum. Sunt et alia duo pulcherrima monasteria extra urbis mœnia, in collibus Apennini sita, quorum unum Divæ Mariæ de Monte dicatum, rupi altiori insitum, situ pulchrum conspicitur, in quo pictura nobilissimi artificis manu in ea Bessarionis Græci cardinalis, et Perotti effigies ad vivum depicta, constat.

Alterum urbi vicinius, Divi Michælis in Luco cognominatum, in colle mira amœnitate jucundo luco æmœnissimo id undique ambiente, structura superbissimi operis ac sumptu maxime conspicuum atque jucundum, a monachis magnarum divitiarum habitatur.

Cum Bononiæ itaque non studiorum tantum gratia, quantum corporis mei valetudinisque adversæ curandæ, pluribus [68r] diebus inter medicos hæsissem, quorum et opera et studio præcipue autem Dei Omnipotentis voluntate et auxilio satis commode prout morbi mei tum temporis difficultas paciebatur, curatus fuisset, animum omnem ad patriam repetendam impulsi. Verum cum Italiæ hactenus oram solummodo mihi attingere licuisset neque intima ipsius regionis, atque cor (ut dicam ita²⁵³) ipsum, studioso præsertim præcipua aspicere et perscrutari licuisset, adhuc animus meus, harum rerum mirum in modum cupidus, moræ diuturnioris impatiens, commoda quaque societate oblata, id implere quod constituerat, certo sibi proposuit. At cum auræ æstus tum temporis (sol enim cancro tum propinqua erat) satis graviter grassaretur, constitui mecum, cum animi relaxandi gratia, tum propter suppellectilem meam in patriam (quo eo ante adventum meum perveniret) transmittendam, Venetiarum²⁵⁴ in urbe tempus ad peregrinandum commodius expectare.

Discessi itaque Bononiæ die 7 Junii mensis, atque Venetiis ad decimum quintum usque Augusti me continui.

Inde Patavium vectus, Bononiam repetii, ibi enim comites itineris mei me expectabant.

De Padoa a Rovigo	20 [68v]
A Ferrara	30
A Bologna	30

Discessi ex Bononia Romanum iter aggrediens 26²⁵⁵ die Augusti, cum Domino Christophoro Brandes doctore, Domino Ernesto a Rechenberg, Domino Ludovico Bœcklin a Bœcklisaw, comites itineris se mihi præbebant.

De Bononia a San Pietro	13
A Imola	7

[*in marg.* : **Imola**]

Imola hodie, ab antiquis *Forum Cornelii* nominata urbs²⁵⁶ in via Æmilia sita, non ampla verum ædificiis satis ornata et arce fortissima maxime munitur, præsidio pontificio cujus et imperio paret custodita.

252 A : tiranno.

253 A : ut dicam ita.

254 B : Verumetiam.

255 B : vigesimo sexto.

256 B : urbe.

A Castello Bolognese ²⁵⁷ oppidum munitissimum	5
A Fæenza	5

[*in marg.* : **Faventia**]

Fæenza²⁵⁸, latine *Faventia*, urbs satis pulchra ab Anomo (*sic pro* : Anemo) fluvio, vulgo *Lamone* dicto, in duas partes scinditur.²⁵⁹ Ecclesia cathedrali ædificio haud contemnendo et prætorio perpulchro ornatur, maxime autem urbs hæc ob vasa coctilia celebris est, quæ propter pulchritudinem et munditiem non solum per totam Italiam, cum nullo in loco pulchriora conficiuntur²⁶⁰, verum et per totam pene Europam circumferantur.

A Roussii ²⁶¹ oppidum maxime munitum	10
De Russii a Ravenna	10 [69r]

[*in marg.* : **Ravenna**]

Ravenna, urbs ampla, olim Italiæ primariis civitatibus annumerabatur, hodie ruinis plena, habitatoribus rara, loco in paludinoso sita est, neque ad littus maris, ut olim, sed multo a mari distante spacio, variorum dominorum passa est jugum, hodie Pontifici Maximo paret. Duo fluvii eam quasi circumdant, quorum ille ad dextram²⁶² *Bedesus* (*sic*), alter ad sinistram *Montone*, a Plinio *Vitus* dictus est.

Cinxit eam muris nunc extantibus Claudius Tiberius²⁶³ quod literæ docent cubitales ad Portam ejus Clausam, quæ Aurea dicitur, quadrato lapide speciosam²⁶⁴, nunc propter ruinas vix apparet.

Prope hanc portam, ruinulæ quædam marmoreæ antiquissimæ sed terra pene oppletæ apparent²⁶⁵, quas ruinas palatii illius superbissimi a Theodorico Ostrogothorum Rege extracti²⁶⁶ esse aiunt.

Ecclesia cathedralis amplitudine pulchritudineque quaterno ordine columnarum ex nobilissimo marmore insignis, in cujus ecclesia sacello majori, mosaico opere effecti²⁶⁷ visuntur archiepiscopi ejusdem ecclesiæ qui occulto quodam misterio, ut illi affirmant, per apparitionem columbæ cujusdam candidæ, id muneris susceperunt.²⁶⁸ [69v]

Templum Sancti Vitalis figura rotunda extractum, cujus testudinaria moles columnis nobilissimi marmoris sustentatur, olim mosaico opere undique quam artificiosissime ornata, parietes prætiosissimis marmoribus incrustati, pavementum tessellato opere, conspicuum conspicebatur ; jam omne id quod antiqui splendoris continebat, vetustate carieque deletum, parum admodum hodie antiqui operis illius videre licet, præcipue tamen quatuor

257 B : Castello Bolognese.

258 B : Faentia.

259 A : finditur.

260 B : conficiantur.

261 B : Rousii.

262 B : dexteram.

263 B : Cl. Tyberius.

264 A : speciosum.

265 B : apparet.

266 AB : extracto.

267 AB : efficti.

268 B : susceperit.

columnæ nobilissimæ, ad introitum chori (ut vocant) positæ sunt : quarum illa ad dexteram maximæ admirationis variisque prætiosissimis lapidibus gemmisque porphirite, achate, serpentino, granato, jaspide rubeo, viridi, luteo diversique coloris. Rubini, calcedonii naturæ miraculo varietateque hinc inde dispersis atque vivatis, res mehercule cum visu pulchra tum prætio inæstimabilis, cujus parem in Europa non reperiri omnes singularium rerum studiosi affirmant.

Prope has columnas, duæ tabulæ marmoreæ antiquissimæ in quibus dracones super aram immolati, et pueri cum tridentibus astantes apparent.

Ante portam templi septentrionalem exivit²⁶⁹ arca in qua sepultus fuit Isaacius²⁷⁰ Imperator, hoc epitaphio insculpto : [70r]

ἐνταῦθα κεῖθαι (*sic pro* : κεῖται) ὁ ρατηγήσας (*sic pro* : στρατηγήσας) καλὸς (*sic pro* : καλῶς) (Ῥώμην τε φυλάζας ἀβλάβῃ καὶ τὴν δύσιν τρὶς ἕξ ἐνιαυτοῖς τοῖς γαληνοῖς δεσπόταις Ἰ)σαάκιος, τῶν βασιλέων ὁ σύμμαχος, ὁ τῆς ἀπάσης Ἀρμενίας κόσμος μέγας· Ἀρμένιος γὰρ ἦν γὰρ οὗτος ἐκ λαμπροῦ γένους. Τούτου θανόντος εὐκλεῶς ἡ σύβιος Σοσαννα (*sic pro* : Σώσαννα) σόφρων (*sic pro* : σῶφρων) τρόπῳ σεμνῆς τρυγόνος (*sic pro* : σῶφρων τρυγόνος σεμνῆς τρόπῳ) πυκνῶς γενάξει (*sic pro* : στενάξει) ἀνδρὸς γερημένη (*sic pro* : ἔστερημένη), ἀνδρὸς λάξαντος (*sic pro* : λαχόντος) ἐκ λαματειν (*sic pro* : καμάτων) αὐδοξίαν (*sic pro* : εὐδοξίαν) ἐν ταῖς ἀνατολαῖς ἡλίου καὶ τῇ δύσει· σρωτοῦ (*sic pro* : στρατοῦ) γὰρ ἦρξε τῆς δύσεως καὶ τῆς ἔω.

Id ad verbum latine sonat :

“Hic jacet, qui bonus fuit Imperator, Romam indemnem servans, et occidentem ter sex annis tranquillis Dominus²⁷¹ Isaacius regum socius universæ Armeniæ ornamentum magnum Armenius²⁷² enim erat isto ex splendido genere. Quo mortuo gloriose contubernalis Sosanna modesta more castæ turturis²⁷³, assidue²⁷⁴ gemit viro privata, viro inquam qui fortibus²⁷⁵ fuerat ex laboribus gloriam in oriente ac occidente sole.

Exercitu enim præfuit occidentis et auroræ.” [70v]

A latere hujus templi, exiguo distante spacio, parvum situm est templum DD Gervasio et Protasio a Galla Placidia Regina et Arcadii et Honorii Imperatorum sorore dedicatum (quæ plurimum huic urbi ornamento fuit), marmoribus incrustatum, lythostraton²⁷⁶ pereleganti opere sumptuque maxime conspicuum. In cujus introitu duo extant sepulchra marmorea, opere rustico nutritio nutricique²⁷⁷ (ut aiunt) a Regina extracta ; in centro ecclesiæ apparent duo alia monumenta ex candido marmore in quibus cineres filiorum duorum ejusdem

269 B : extat.

270 A : Isaicus ; B : Isacius.

271 AB : Dominis.

272 A : Armenias.

273 B : turtoris.

274 B : assiduo.

275 A : sortitus ; B : sortibus.

276 A : lythostraton ; B : lythrostrato(n).

277 B : nutricisque.

Reginæ asservati affirmant. Tandem super altare²⁷⁸ sepulchrum Reginæ proprium, ex marmore prætioso fabrefactum, conspicerere licet.

In ecclesia Sancti Andreæ visuntur novem columnæ marmoris²⁷⁹ pulcherrimi inter quas duæ oppositæ sibi invicem locatæ rubeo candidoque colore maculis insignes, jucunditæ miroque naturæ effectum mirandæ.

Templum Apollinari²⁸⁰ Divo sacrum et aliquando in Cælo Aureo cognominatum a Theodorico Ostrogothorum Rege sumptuosissimis duobus ordinibus columnarum marmoris nobilissimi quas ex Constantinopoli Romaque [71r] afferri curaverat, cum nullis sumptibus quo egregie variarum rerum pulchritudine ornaretur, parceret, extractum atque ornatum fuit ; verum hodie vetustate pene omnia collapsa ornamenta, inter antiqua opera, musivo opere Justinianus Imperator et uxor nunc supra portam picti cernuntur.

Videtur et eodem in templo sacellum variarum rerum pulchritudine, multum insigne, inter alia tamen duæ columnulæ, quæ achatis potius speciem aliquam quam marmoris cujusdam repræsentant.

Templum Divo Joanni Evangelistæ sacrum ab eadem Regina Galla Placidia²⁸¹ extractum, vetustate atque magnificentia maxime conspicuum, in quo opere musivo omnes eos Imperatores qui ab ejusdem Reginæ familia descenderant, depictos conspicerere licet.

Sancta Maria in Porticum²⁸² monasterium totius urbis pulcherrimum, structura, opere, sumptu²⁸³ magnificentiaque maxime conspicuum.

Prope Divi Francisci templum visitur monumentum Dantis Aligerii poetæ cum hoc epitaphio :

Jura Monarchiæ superos phlegetonta lacusq(ue)
Lustrando cecini, voluerunt fata quousq(ue) [71v]
Sed quia pars cessit melioribus hospita castris
A(u)ctoremq(ue) suum petiit fœlicior astris
Hic claudor Da(n)tes, patriis extorris ab oris
Quem genuit parvi Flore(n)tia mater amoris.

Non longe ab hoc monumento est arca marmorea antiquissima cum hac inscriptione :

Flaviæ Q(uinti) F(iliæ) Salutaris conjugii rarissimæ L(ucius) Publicius Italicus dec. orn : et sibi V. P. Hic coll : fabr : M. R. HS. XXX. N. vivus dedit, ex quorum reddito quotannis decurionib(us) coll : fabr : M. R. in æde Nept : q(uam) ipse extruxit die Neptunior(um) p(ræ)sentib(us) spor : X. bini dividere(n)tur. et dec : XXVIII suæ X (= denarii) centeni quinquageni quodannis darentur, ut ex ea sum(m)a sicuti soliti sunt arca(m) publiciorum Flaviani, et Italici filiorum et arcam, in qua posita e(st) Flavia Salutaris, uxor ejus, rosis exorne(n)t, de X. (= denarii) XXV. sacrificentq(ue) ex XX. HS. et de reliq(ui)s ibi epulentur, ob q(uam) liberalitatem coll :

278 A : altari.

279 A : marmoreis.

280 A : Appolinari.

281 A : Placida.

282 B : Porticu.

283 B : sumpta.

fabr : M. R. inter bene meritos quod annis rosas publicis supra S. et Flaviae Salutari uxori ejus mittendas, ex X (= denarii) XXV sacrificium faciendum, de XX HS per magistros decrevit. [72r]

Sunt et aliae plurimae ecclesiae in quibus hinc inde plurima epitaphia, lapides, inscriptiones aliarumque antiquitatum vestigia apparent, quae brevitatis causa et quod non adeo magni sunt momenti, omittenda sunt.

Extra urbis Ravennae mœnia, occurrit monasterium Sanctae Mariae cognomento Rotundae, sic dictum quod forma circulari, mirando artificio opereque ex quadratis ingentibus saxis, opere reticulato exstructum sit, pavimentum opere mosaico seu musivo ornatum, quam totam structuram (admiratione digna certe res) petra integra, tecti loco copertam tenet, quae paululum cava in centro ejus²⁸⁴ summitateque foramen ingens continet. Quod antrum²⁸⁵ sepulchro et porphirite monumentoque Theodorici Regis Ostrogothorum copertum fuit longitudinis 8, latitudinis vero 4 pedum, id mira arte, ære obductum, miris cœlaturis, sumptuosissimo opere ab Amaluntha Regina, filia ejus, patri exstructum fuerat, tandem vi tormenti ænei, a militibus quibusdam avaris spoliolum gratia dejectum, parte confracta decidit, ubi et in terra prostratum hodie adhuc conspicitur. [72v]

Tribus millibus passuum ab urbe, non longo ab hoc monasterio distante spacio, prope exiguum fluvium vulgo *il Ronco* dictum, commissa est atrox illa et nobilis pugna intra²⁸⁶ Hispanos et Gallos, in qua ceciderunt plus quam 18000 hominum²⁸⁷, die ipso Paschalis anno Domini 1512, commissa.

De Ravenna a Savio

millia 10

Ubi trajectus est fluvii vulgo *il Savio* dicto, ab antiquis et *Isapis* et *Sapis* nominatur.

A Porto Cesenate

10

Antequam ad portum Cesenatem veniatur, apparet ad meridiem, mille passibus a via communi, Cervia urbs [*in marg.* : *Cervia*] in loco paludinoso sita, rara ob corruptionem æris²⁸⁸ habitatoribus plurimum vero salis, ob situm marinum commodum ; hoc in oppido quotannis conficitur, tanti totque hinc inde per campos cumuli sparsi visuntur quod ob copiam et magnitudinem non salis acervos, sed terræ tumulos potius collesque esse judicares.

Prope ecclesiam cathedralem visitur sepulchrum ex marmore candido pulcherrimum, in formam pyramidis exstructum, longitudinis 6 pedum, ubi sculpti²⁸⁹ duo pueri, facie tristes, una manu faciem²⁹⁰ accensam, [73r] inversam²⁹¹ tenentes, altera coronam ex floribus elatam gestantes, inter quos hæc verba sculpta leguntur :

284 B : quae paululum cava in centro ejus *desunt*.

285 B : autem.

286 B : juxta.

287 B : in qua ceciderunt plus quam 18 000 hominum *desunt*.

288 A : ob corruptiorem aerem.

289 A : sculpta.

290 B : faciem.

291 A : universam.

M. Aur. Mace. Vet : Nat. Delin. ex sub. opt. sibi et anno victoriae liberatae, vivus posuit. si q(ui) s hanc arc. P. Ex. F.S.S.S.A.D.F.C.

Non longe ab hac urbe, in radicibus montis Apennini sita, videtur Cesena urbs, quae a portu Cesenate distat

[*in marg.* : **Cesena**] 10 000 passuum, ad Sapidem fluvium qui vulgo *il Savio* dicitur, populo maxime ob commodum et fertilem situm abundat, habet castrum vetustate ruinosum, a Friderico secundo Imperatore extractum, hodie omnis haec ditio Romano Pontifici paret.

Haud longe a Cesena est monasterium Sancta Maria de Monte dictum, vel *Mons Mauri*, sub cuius ecclesiae altari primario²⁹² conspicitur antiquissimum sepulchrum, longitudine sex, latitudine profunditateque duorum pedum, cum hoc epitaphio :

Seia T. F. Marcellina²⁹³ sibi et Vibennio Marcellino filio viva posuit.
Quod voluit et potuit : Quod potuit et voluit.

In pavimento ecclesiae haec leguntur :

Balneum Aurelianum, ex liberalitate Imp(eratoris) Cæs(aris) M(arci). Aureli(i). Pel. Aug : servata indulge(n)tia pecuniae ei(us) [73v] Quam Deus Aurelianus concesserat, facta usurar(um) exactionem ; cura(n)te Statio Iuliano V curatore res : referat.

In alio loco legitur :
Templum Pietatis,

et postea :

D. M. P. Crassivo²⁹⁴ Martinio militi chor : III. praetoriae S. T. M. Sextilia Semplicia Coniunx incomparabilis, coniugi suo charissimo dolens, posuit, et libertas. H. V. Crassivi(us) F. et ipse dolens curavit.

Multa desunt cum petra sit rupta.

De Portu Cesenate a Arminio

millia 15

[*in marg.* : **Ariminum**]

Ariminum urbs, ad littus maris Hadriatici sita, fluuio Arimino²⁹⁵ alluitur ; extruxit in eo pontem Octavianus Augustus qui hodie adhuc superstes est, ex marmoreis quadratis lapidibus quinque arcuum serie compactus²⁹⁶, qui unus est ex illis tribus quos fecit in via Flaminia, haec literae incisae ponti huic leguntur :

292 B : principio.

293 B : Marcellinus.

294 A : Crassito.

295 B : Arminio.

296 AB : compactos.

Imp(erator) Cæsar D(ivi). F(ilius). Augustus²⁹⁷ Pontifex Max(imus). Co(n)s(ul). XIII
Imp(erator). XX. tribunitiæ pot(estatis). XXXVII. P(ater). P(atriæ).

In altero pontis latere :

Tib(erius) Cæsar Divi Augusti f(ilius). Divi Iulii n(epos). Augusti Ponti(fex) Max(imus) Co(n)
s(ul) IIII Imp(erator) VIII trib(unicia) potest(ate) XVII dedere. [74r]

Hoc in loco et via Flaminia initium sumit ; hic enim pons Flaminiam²⁹⁸ Æmiliæ conjungit.

Ad portam hujus urbis²⁹⁹ orientalem conspicitur arcus triumphalis marmoreus ab
Augusto Cæsare extractus cum hac inscriptione :

Co(n)s(uli) Septimio designat octavo M. V. celeberrimeis³⁰⁰ Italiæ viis consilio Senat : Pop :

In maritima³⁰¹ urbis parte, conspiciuntur ex lateribus coctis theatri ruinæ, hincque inde
epitaphiorum variarumque antiquitatum plurima fragmenta vetustaque Malatestarum
familie palatia, qui olim huic urbi³⁰² dominati sunt, hodie Pontifici Maximo paret :

De Arimino a la Catholica

15

A Pesaro

10

[*in marg.* : **Pisaurum**]

Pisaurum latine, vulgariter Pesaro dictum, urbs et situ et ædificiis maxime jucunda,
ad littus maris Hadriatici est sita, ab occidente Isauro fluvio, vulgo *la Foglia* dicto, alluitur,
qui ponte tectus fines Romanie et marchionatus Anconitani constituit. Castrum habet
munitissimum quanquam et urbs ipsa, mirum in modum a ducibus³⁰³ Urbinensibus quorum
imperio paret [74v] sit munita.

Habet et prætorium in foro, pulchritudine non contemnendum.

Videtur et armamentarium ducis Urbini, in quo non solum variorum armorum
species, sed et singularium³⁰⁴ rerum, maxima diversaque copia, inter quæ et antiquitatum
monumenta aliqua conspiciuntur, maxime autem statua ænea Bachi pulcherrima et effigies
Philippi et Alexandri Macedonum Regis, marmore mira arte insculptæ³⁰⁵ mirandaque
antiquitate conspicuæ apparent.

Non longe ab urbe situm est palatium ducum Urbinensium pulcherrimum, *il Poggio
Imperiale* dictum, mira ædificiorum pulchritudine, hortorum amœnitate, fontium admirando

297 B : Imp. Caesar Augustus.

298 B : Flaminiani.

299 B : orbis.

300 B : celeberrimis.

301 A : maritina.

302 B : orbi.

303 B : in modum ducibus.

304 B : singularina.

305 B : insculpta.

artificio aquam evomentium varietate ornatum, adeoque rerum omnium amœnarum copia abundans, quod hodie merito delicatissimis Italiæ locis non postremo loco adnumeretur.³⁰⁶

De Pesaro a Fano

5 millia

[*in marg.* : **Fanum Fortunæ**]

Fanum ad littus maris Hadriatici situm. Urbs non inelegans ab antiquis *Fanum Fortunæ*³⁰⁷ dicebatur, unde et nomen traxit, quod olim ibi templum superbissimum Fortunæ [75r] dedicatum fuit, cuius et vestigia hodie adhuc invenire licet.

Visitur et ibi sumptuosissimus arcus triumphalis marmoreus, magno artificio extractus, altitudine 30 cubitorum pene, prout conjectura consequi licet, cum basis tamen ejus terra oppleta sit, latitudinisque 20, cui hæ litteræ insculptæ sunt cubitales :

Divo Augusto³⁰⁸ Pio Constantino Patri Domino. Q(ue). Imp(erator) Cæsar. Divi f(ilius) Augustus Ponti(fex) Max(imus). Co(n)s(ul) XIII tribunicia³⁰⁹ potest(ate) XXXII. Imp(erator). Pater. patriæ murum dedit.

Cui inscriptioni subjunctum :

Cura(n)te L(ucio) Turcio Secundo Aproniani, Præf(ecto). Urb(is). Fil Asterio. V. C. Corr Flam : et Piceni.

Arcus hujus apex et perystilion qui arte pulcherrima factus erat corruit, formam tamen ejus satis commode effigiemque intueri licet, marmore a Fanensibus in perpetuam memoriam, proximo loco, quomodo olim fuerit insculptam. Ubi hæ subscriptæ sunt litteræ :

Effigies arcus ab Augusto erecti, postea tormentis ex parte dirupti, bello Pauli contra Fanenses, M.CCCC.LXIII.

De Fano a Senogallia

15 [75v]

[*in marg.* : **Senogallia**]

Senones Galli huic urbi nomen dedere qui post devastatam Romam a Camillo fusi, eam incoluerunt. Dicitur³¹⁰ et ea quibusdam antiquis *Sena*, ab aliis *Senogallia*, quod nomen et hodie retinet. Habet hæc urbs castrum munitissimum quod una cum urbe imperio ducis Urbinatium subjectum est. Hic et Gallia Cisalpina desinit.

[*in marg.* : **Ancona**]

306 B : admoneretur.

307 B : non inelegans Fanum Fortunae.

308 B : Augustino.

309 AB : tribunale.

310 A : Dicitur ; B : in c[...].tus.

Haud longe ab Ancona est promontorium Cimeria ab antiquis dictum³¹¹, olim templo Veneris, quod in jugo hujus montis erat famosum, hodie ab heremitis habitatur.

Ad cujus promontorii radices est urbs Ancona, ad littus maris Hadriatici in curvum³¹² extracta, similitudine cubiti inflexi, unde quod et Apenninus summopere eo in loco in mare extendatur, portu tutissimo obque commoditatem, situm et securitatem, totius Europæ celeberrimo, commoda est ; olim a Trajano Imperatore plurimum cum scalas marmoreas ad ingerendas evehendasque merces navibus commodas, et arcum triumphalem, prope ornatum³¹³ gratia extruxisset, ornata est. Qui arcus marmoreus pulcherrimus adhuc integer pene conspicitur, scalis omnibus vetustate et negligentia fere collapsis. Arcui hæc insculpta leguntur : [76r]

Imp(eratori). Cæs(ari). D(ivi). Nervæ f(ilio), Nervæ Traiano optu(m)o Aug(usto). Germanic(o). Dacico Pont(ifici).³¹⁴ Max(imo). Tr(ibunicia). Pot(estate). XIX Imp(eratori). XI Co(n)s(uli). VII P(atri). P(atriæ). Providentissimo Principi S(enatus). P(opulus). Q(ue). R(omanus).

Quod adcessum Italiæ hoc est addito, ex pecunia sua³¹⁵, portum tutiorem navigantibus reddiderit.

A dextro latere, hæc :
Plotinæ Aug(ustæ). Coniugi Aug(usti).

A sinistro autem :
Diuæ Marcianæ Aug(usti). Sorori, Aug(ustæ).

De Ancona a Laureto

15

[*in marg.* : Lauretum]

Lauretum, oppidum in colle amœnissimo, natura loci arteque maxime munitum conspicitur. Templum in eo³¹⁶ Divæ Mariæ dicatum, non solum totius Italiæ, verum et Europæ, religionis ergo famosissimum, quottannis etenim singulisque³¹⁷ diebus, ingens totius christiani orbis multitudo, voti gratia sacra hæc limina invisere, inque devoti³¹⁸ Divæ Mariæ Virginis conclavi (in quo eam et educatam, et nuncium angelicum accepisse asserunt) se prosternere consueverunt, quod in centro ecclesiæ maxime vetustum caliginosumque videtur. Pontifices maximi nostro sæculo admiranda arte obstupendis artificio cælaturis et marmorum prætiosorum incrustationibus statuarum pulcherrimarum varietate incredibili [76v] pulchritudine sacellum hoc ornarunt, non elegantius nec sumptuosius opus, ullo in loco Italiæ me conspexisse memini ; narrant nova hæc ornamenta, nulla, nec arte nec opere

311 B : dictam.

312 A : in currum ; B : in curruum.

313 B : ornatus.

314 A : Pont(ifici) ; B : Pont(i)f(ici).

315 B : addito, ex pecunia sua *delet.*

316 A : eo in.

317 B : singulis.

318 AB : devoto.

sacris sacelli parietibus conjungi posse, quasi cœlitus, ne prophana divinis miscerentur, admoveri³¹⁹ videantur. Taceo porro de admiranda tabularum undique suspensarum copia in quibus fabularum, historiarum volebam dicere miracula depicta atque delineata videntur, qui enim voti, sacrati hujus loci compotes facti sunt, in depicta tabella, causam voti huic templo offerre solent.

Quid porro de cereis argenteisque oblationibus et statuīs quorum in numero et Annæ piæ memoriæ, serenissimi Regis nostri Ferdinandi conjugis, statuam cubitalem ex argento fusam conspicerē licet, sed quid opus singula referre ; iter institutum nunc progrediar.

De Laureto a Racanata

3

[*in marg.* : **Ricinetum**]

Racanata olim *Ricinetum*, urbs perampla in monte satis sublimi sita, ruinis plena est.

A Passa (*sic pro* : Passo) de Macerata

10

A Tolentino

10

A Plinio dicti sunt hi populi *Tolentinates*. Est [77r] [*in marg.* : **Tolentinum**] oppidum perpulchrum et situ maxime jucundum, Francisci Filelphi viri doctissimi patria.

Ducatus Spoletanus qui majorem partem Umbriæ continet hic initium sumit.

A valle Chemara

8

A la Muzza³²⁰

8

A Verchiano

12

A Spoleto

14

[*in marg.* : **Spoletum**]

Omnis hæc regio Spoleto usque in amœnissimam³²¹ fertilissimamque planitiem se extendit, maxime vineis oleisque nobilis. Spoleto enim urbs partim in planitie sita, partim colli incumbens, arce ex hac parte [A *in marg.*, B *in texto* : non contemnenda munitur, ponte cum parte] urbis conjungitur lapideo ; pontem columnæ altissimæ sustinent³²², cum vallis profundissima, verum haud ampla, arcem ab urbe dirimat ; olim caput et metropolis Vilumbriæ³²³ dicebatur, urbs ipsa non indecora, populo maxime copiosa est, habuit aliquando ornamenta quædam antiquissima, theatra, templa, circos, verum a Gothis omnia devastata et excisa sunt.

In area cathedralis ecclesiæ, fontem perpulchrum magnam copiam aquæ evomentem conspicerē licet.

Procedendo ex Spoleto Teraniam usque, occurrunt montes [77v] viaque asperrima strictaque, vulgo *la Valle di Strettura* dicta, multis tamen in locis, mira copia vitium olearumque sylvarum in modum consiti. Computantur itaque ex

Spoleto Terani usque

12

[*in marg.* : **Interamnia**]

319 *vel* admoneri ?

320 A : la Muzza ; B : la Mizza.

321 A : aemaenissimam.

322 B : sustinent.

323 B : Vilumbriæ.

Interramnates ab antiquis hi populi nominati, hodie Terani³²⁴ vel Terni³²⁵ hæc urbs dicta est, situ maxime jucunda, ad Negram fluvium a Virgilio Nar dictum qui, muros civitatis alluens, ponte lapideo tectus est, ruinæ peramplæ hinc inde in circuitu urbis visuntur quæ³²⁶ eam multo capaciolem fuisse satis clare³²⁷ edocent.

De Terni a Narnia

6

[*in marg.* : Narnia]

Narnia et ab antiquis nominata, a quibusdam vero Nequinum, in jugo altissimi ac præcipitosi saxosique montis sita, hæc urbs de qua Martialis :

Narnia sulphureo quam gurgite candidus amnis
Citant, accipiti vix adeunda jugo.

Maxime ad meridiem rupe præcipiti munitur ad cujus radices, ingenti strepitu, horrendo sonoroque clamore devolvitur, Nar fluvius ad septentrionem vitibus oleisque maxime abundans.

In novissima Romana devastatione, excidium quasi extremum passa est, prout populi solitudo ædificiorumque desolatio docet. [78r]

Exeundo Narniam occurrit via summa vi arteque³²⁸ per rupes et saxa montis cæsa, quo viatoribus iter commodius pateret, opus multo labore admirandum.

De Narnia a Otricolo

6

Otriculum et ab antiquis, a Strabone *Otriculum*³²⁹ nominatur, in colle situm hoc oppidum, a Tyberi fluvii ripa mille passuum distantia. Non longe ab hoc oppido in valle subjecta, visuntur vestigia ruinæque antiquissimæ Sabinorum urbis *Ocreæ*, ubi et amphitheatri variorumque ædificiorum ruinæ, parietum columnarumque ingentium rudera conspici licet. Ædificaverat Augustus Imperator apud *Ocream* pontem supra Tyberim qui unus ex illis 4 de quibus superius dictum in via Flaminia fuit ; vestigia arcuum ejus pontis adhuc apparent, hodie navigio trajicere consuetum est.

De Otricolo a Cita Castellano

9

A Rignano

7

A Castelnovo

7

Maximæ huic³³⁰ ruinæ, Romam usque viæ Flaminiae visuntur. [78v]

A Prima Porta

7

A Roma

7

Veni Romam tertio die Septembris, anno 1554.

324 B : Terarii.

325 B : Ternii.

326 AB : qui.

327 B : fuisse clare.

328 B : antequæ.

329 A : Orriculum.

330 B : hic.

IV

[*in marg.* : Roma]

Cum satis et ample et diligenter a variis cum antiquis tum neotericis scriptoribus, cum situs et amplitudo urbis Romæ³³¹, tum omnium antiquitatum monumenta ruinarum et ea quoque ubi hodie nulla extant vestigia templorum nostro christiano sæculo mutationes, reliquaque diligenti antiquitatum scrutatori notanda, perscripta congestaque sint, ego itaque memoriæ solummodo³³² gratia, longa et scrupulosa rerum narratione omissa, quam brevissime ea quæ Romæ mihi videre, diligentique inquisitione, perlustrare licuit, maxime autem illa (cum scriptores nostro sæculo exiguam vel nullam de iis³³³ mentionem faciant) quæ in privatis ædibus civium palatiisque cardinalium et episcoporum videre contingit, obiter perstringam : pulcherrima etenim antiquitatum ornamenta in privatos hodie usus adhibita inque proprios parietes undique a singularum rerum studiosis retracta sunt. Verum præcipue notatu solum digna nobilioraque mihi narranda sunt. Si etenim et statuarum, epitaphiorum, inscriptionum, tabularum variarumque antiquarum rerum³³⁴ copiam efferre [79r] deberem, nec charta nec plurimi dies mihi sufficerent, quorum ingens undique per urbem, in templis, viis, palatiis, ædibus et publicis et privatis sparsim numerus visitur.

Sumendum itaque mihi initium duxi, ab ea parte urbis quæ hodie maxime populosa et habitata visitur, quod³³⁵ is locus est ubi olim fuit Campus Martius et Vaticanus mons, atque breviter transcurrendo et templa maxime hodie famosa, urbi propinqua, adstringam.

Est itaque Vaticanus mons, ultra Tyberim fluvium is ubi hodie est basilica Divo Petro dicata et palatium Summorum Pontificum ; fuit aliquando dictus Urbs Leonina quia cum Leo III Pontifex muro primum cinxit, hodie vulgo dicitur *il Bourgo Nuovo*.

Ubi hodie extat Divi Petri templum id famosum, olim fuit circus Neronis et naumachia. Extat adhuc eo in loco retro³³⁶ templum obeliscus, quem Plinius in Neronis circo locat. Hic unus ex tot³³⁷ qui fuere Romæ erectus stat. Memorat Plinius ea nave, qua ex Alexandria obeliscum invexit, nihil admirabilius in mari visum certum esse, CXX M modium lentis pro saburra [79v] ei fuisse, arboris autem illius crassitudinem 4 ulnas³³⁸ hominum complectentium implesse, hæc navis demersa est a Claudio principe tunc cum in Tyberis faucibus portum fundare proposuit. Ubi latior est is obeliscus IX pedes æquat, pilam inauratam habet fastigium, in qua Cæsaris esse cineres vulgus existimat, hodie *Divi Petri Agugliam* vocant, ob ejus templum ibi vicinum. Duas habet inscriptiones :

331 B : Romanae.

332 B : solunodo.

333 B : de eis.

334 B : variarumque rerum.

335 B : qui.

336 A : centro.

337 B : extat.

338 A : altias.

DIVO CÆSARI D(ivi) IVLII F(ilio) AVGVSTO TI(berius) CÆS(ar) D(ivi) AVG(usti) F(ilius)
AVG(ustus) SACRVM

Basilica Divi Petri a Constantino Imperatore a fundamentis excitata, juxta ædem Apollinis³³⁹, ubi nunc est Divæ Petronillæ fanum, hodie quotidiano opere admiranda profecto structura sumptuque ornatur, tamquam magnifico opere inchoatum³⁴⁰ visitur, quod plurimis lustris vero judicio absolutum non videbitur. Honorius Pontifex I tegulis inauratis totum tectum templi ornavit, eas autem ex Capitolio quod Quintus Catulus contexerat sumpsit.

In vestibulo Divi Petri quod *Paradisum* vocant, apparet nauiculæ fluctuantis pictura, ex opere museato facta [A *in marg.*, B *in texto* : Giotti Florentini artificis nobilissimum opus fuisse dicitur].

Ad levam introeuntibus sepultus videtur, labro porphiretico, Otto secundus Imperator. In medio autem atrio [8or] surgit pomum pineum ex ære, miræ magnitudinis, ibidem et ænei³⁴¹ pavones deaurati, quod ex ornamentis sepulchri Scipionis³⁴² fuisse³⁴³ volunt, ejus sepulchri effigiem in æreis foribus templi incisam videmus, quas antea argenteas in areas Eugenius III Pontifex mutavit, in illisque nationes Armenios scilicet, Græcos, Æthiopes³⁴⁴, Jacobinos atque alios, quas ipsæ³⁴⁵ Ecclesiæ Romanæ conciliaverat, sculpi jussit.

A dextris extat Porta Sancta ab Alexandro VI anno³⁴⁶ jubileo M.D. pridie Natalis primum patefacta.

A sinistris sacellum exiguum in quo statua Divæ Mariæ Michælis Angeli artificis famosissimi manu facta.

In templo ipso quod admirandis pulcherrimisque sustentatur marmoreis columnis, variæ visuntur Sanctorum reliquiæ et Pontificum cum epitaphiis monumenta ; maxime autem narrant, ibi adesse Sanctum Christi Sudarium, et ferrum lanceæ³⁴⁷ quo ejus latus apertum, a maximo Turcarum principe missum Innocentio VIII ; extat ejus argentatum æreum ipsius Pontificis simulacrum ita locatum³⁴⁸ cum ferri effigie, taceo de aliis reliquiis quorum infinitus est numerus. [8ov]

Extant etiam duæ pari forma Divi Petri statuæ quarum alteram aiunt fuisse olim Capitolini Jovis signum. In canonicorum cella extat Sixti III miro artificio conflatum æneum monumentum omnium nostræ ætatis pulcherrimum, adeo superbe atque artificiose elaboratum, ut cum antiquis monumentis conferri possit.

In sacello Sancti Andreæ visuntur sepulchra Pii II Pontificis, antea Æneas Sylvius dictus, et Pii III nepotis sui.

339 A : Apollonis.

340 B : inchoatum.

341 B : aeneis.

342 A : Scipiones.

343 B : esse.

344 A : Aethiopas.

345 A : ipse.

346 B : amo.

347 B : lancea.

348 B : locum.

Juxta altare Divæ Petronellæ sepulta est Agnes, uxor Henrici III Imperatoris, ex genere comitum Pictonum. In capella Divæ Monicæ sepultus est Mapheus Phegius poeta quam ille extruxit ; sed quis unquam modum invenire posset eorum omnium quæ in Divi Petri templo spectantur ?

Vaticanæ ædes huic loco sunt contiguæ, triplici concameratione porticu conjunctæ, quas Pontificum Palatium vocant, a variis Pontificis his superbissimis substructionibus ut apparet exstructum ; hic cella est quam Capellam Papæ vocant, picturis nobilissimi Michaelis Angeli manu ornata.

His ædificiis mollissimos illos ac deliciarum omnium plenos hortos quos a loci amœnitate Belvedere vulgo vocant longissimum porticum conjungere. [81r]

In iis infinita excellentissima opera ex marmore facta variis in locis urbis reperta servantur, veluti Nili ingens simulachrum supra fontem positum, quod multitudo ranarum, crocodillorum aliorumque multorum generum animalium quæ flumen illud fert circumstat.

In altero fonte Tyberis fluminis ejusdem magnitudinis, cum pueris conditoribus urbis lupæ mammam tractantibus, Apollinis statua arcum tenentis ac sagittas³⁴⁹, Veneris parvulum³⁵⁰ Cupidinem intuentis, alia Veneris statua, Herculis puerum brachio gestantis vel, ut quidam volunt, Commodi Imperatoris statua herculeo habitu, Antinoi adolescentis statua³⁵¹ Hadriano Imperatore dilectissimi summæ pulchritudinis, jussu ipsius Hadriani condita, apud thermas Trajani inventa, in Vaticano a Leone X posita est, Laocoon ille tam celebri nomine ac ejus filii Draconum nexibus miris modis impliciti, hoc vero totum opus ex solido integroque marmore est, quod ex consilio fecere summi artifices Agesander, Polydorus et Artemidorus Rhodii. Plinius tradit ejusmodi esse ut omnibus picturis ac signis merito sit anteponendum. In Exquiliis inventum est, juxta thermas Titi sive in ipsius palatio in quo Plinius scribit suo tempore fuisse.

Non longe ab hoc horto³⁵² amœnissimo, conspicitur fons cui [81v] Cleopatre morientis ac paulatim deficientis statua pulcherrima apposita est. In pratis Vaticanis extruxit Iulius III fontem pulcherrimum effigiem vivi saxi et petræ aquam distillantem demonstrantem.

Non longe a Divo Petro, extant ædes cardinalis Cæsii in quibus variam ingentemque copiam antiquitatum, maxime autem variorum epitaphiorum et urnarum conspici licet ; in hortis autem præcipue pulchritudinis et artis est statua Romæ triumphantis, colosseæ magnitudinis ex utroque latere assistentes habet, ex atro marmore pari forma habituque Numidarum, ut existimant, Regem³⁵³ ; Satirus præterea cum Phœbo lyra certans, ex candidissimo marmore admirandæ pulchritudinis ; Statua Heliogabali³⁵⁴ Imperatoris ; caput Augusti et Pompeiæ magnusque numerus terminorum antiquorum aliarumque antiquitatum.

349 B : ac sagittas *omitt.*

350 A : parvulam.

351 B : statuae.

352 A : porto.

353 *sic pro reges ?*

354 A : Heliogabali ; B : Hæliogaboli.

Progrediendo hinc ad pontem Tyberis occurrit moles Hadriani quam Hadrianus Imperator pro sepulchro sibi ædificauit, ut incisæ literæ marmoribus inscriptiones et epitaphia illic hodie ostendunt.³⁵⁵

Dicitur et castellum Sancti Angeli, quod in ejus apice aliquando visus fuerit angelus cruentatum gladium in vaginam recondisse, in cuius rei memoriam et æneus eodem [82r] in loco extat.

Scribit Procopius primum extrinsecum circuitum hujus ædificii, quadrata forma atque ex Pario marmore exitisse singularique et diligentia et arte perfectum, in cuius circuitus medio narrat ædificium rotundum altissimumque atque adeo amplum fuisse ut jactus lapidis ab uno ad aliud latus pervenire non potuerit, cuius forma jam extat. Nunc ad arcis formam Pontifices reduxere, maxime Alexander VI fossis, propugnaculis, tormentis æneis firmisque præsiidiis quasi inexpugnabilem fecit, Paulus III interiora habitationibus adaptavit³⁵⁶ mireque ornavit per hujus molis vestigia circum equorum ingentes statuas dispositas volut fuisse. Item hominum curruum, mirabili artificio factorum eaque omnia Gothorum bello, cum Bellisarius pro præsidio locum tenuisset, partim integra partim fracta, in hostem dejecta sunt.

Extat ibi supra Tyberim pons Sancti Angeli a vulgo dictus ; olim dicebatur *pons Ælius* ab Ælio Hadriano qui cum mole eum extruxit. Nicolaus V expeditiorem³⁵⁷ reddidit, nam cum anno jubileo M.CCCC.L. multitudo magna viso sacra Sudario facta, obviam³⁵⁸ quadam mula, cum neque venientes neque redeuntes ob in sequentem [82v] turbam cedere possent, plurimi illic a multitudine mortalium vel equorum calcibus oppressi, multi a lateribus pontis in flumen cadentes undis periire. Quorum causa duo illa marmorea sacella sphærica in aditu pontis excitata sunt ; hodie nullus fere urbis locus populo frequentior, quia directus aditus et ad Pontificis Palatium et ad forum ubi mercatores convenire solent quod proxime ultra pontem est, et ad viam Juliam patet.

Juxta Tyberim in Triumphali via Sancti Spiritus in Sassia hospitale pulcherrimum conspicitur ; cognominatus est is locus ita a populis Saxonibus qui aliquando hunc locum incoluerunt ; prope hunc locum in Tybere³⁵⁹ extant adhuc vestigia pontis Triumphalis per quem olim triumphali agebantur.

Antequam ad reliquam urbis partem progrediar, ea loca quæ trans Tyberim adhuc sunt percurram. Restat itaque Janiculus mons quæ urbis pars proprio muro³⁶⁰ cincta est atque primum ab Anco Martio, et appellata fuit regio Transtyberina, quoniam trans Tyberim esset et collem Janiculum vocavere, sive quod Janus eum incoluerit, sive quod in eo sepultus fuerit. Et Ravennatum civitas est appellata quia Augustus Ravennatum [83r] ibi castra habuerit. Quoniam autem ad austrum hæc regio exposita est, infamis fuit cælo pestilenti, atque idcirco minus fuit³⁶¹ frequens cultoribus nobilibus ; ideo accidit quod minus antiquis rebus insignibus abundavit.

355 B : ostenduntur.

356 AB : adoptavit.

357 B : expeditiorem.

358 B : obviam.

359 AB : Tyberi.

360 B : propria muro.

361 A : fuit *omitt.*

Hodie quidem prope Tyberim portamque³⁶² Septimanam celebris est, reliqua pars arbusta tantum atque hortos habet.

Est ad ripam Tyberis palatium cardinalis Visæi Hispani pulcherrimum, in quibus horti omnium deliciarum amœnissimarum arborum diversorum copia, sylvis aureorum pomorum, fontium ubertate et pulchritudine, avium clatratis caveis inclusarum amœnitate, miro sumptu atque ordine ornati. Visuntur et ea in parte urbis ædes cardinalis de Guise elegantes valde, et hortus cardinalis Farnesii quam pulcherrimus³⁶³, in quo varia antiquitatum monumenta, maxime autem arcam marmoream mira arte sculptam, conspici licet.

Ubi olim Ravennatum fuit templum hodie est pulchra Divæ Mariæ Transtyberim cognominatæ ecclesia³⁶⁴; in hoc Augusti tempore olei fons scaturiens totum diem ad Tyberim usque perenne copioseque defluxit. Juxta hoc est Divi Chrisogoni martyris templum [83v] in quo Hieronimus Aleander³⁶⁵ vir doctissimus sepultus est³⁶⁶ cum hoc epitaphio :

Hieronimo Aleandro Mottensi e comitib(us) Landri in Carnia, Petræpilosæ in Istria oriundo, Cardi(nali) Brundusino³⁶⁷, phil(osophiæ) et theol(ogiæ) Doctori, Hebraice, Græcæ et Latine aliquotque aliarum linguarum exoticarum ita exacte docto, ut eas recte et apte loqueretur ac scriberet, mox diversis legationibus pro Summis Pont(ificis) ad omnes fere Christianos principes fideliter et diligenter perfuncto, et ideo in tabem delapso, quanti humanam miseriam fecerit, sequente disticho de se edito, testatum posteris reliquit :

Κάτθανον οὐκ ἄεκων (sic)³⁶⁸ ὅτι πασοόμαι (sic), ἐν (sic)³⁶⁹ ἔπιμαρτυς / Πολλῶν ὧν περ' ἰδεῖν ἄλγιον τῶ (sic) θανατοῦ.

Anno Christi M.D.XLII. Ætatis suæ LXII minus diebus XIII.

Divi Cosmi cænobium in quo moniales ad centum majore ex parte nobili familia³⁷⁰ natæ. In colle Divi Petri Montorii cognominato fanum, in Monte Aureo vocant (nam ex Monte Aureo *Montorium* postea reddidere) ab harenæ aureo colore, ut credi potest, quæ illic effoditur, in usus præcipue scriptorum, ubi sunt monachi Sancti Francisci.

Extant in eo pulcherrimæ et artificiosissimæ Raphælis Urbinatis picturæ et tabulæ. Condidit in [84r] eo Julius III Pontifex sumptuosissimum patri et avo ex marmore monumentum.

Fuerunt olim thermæ Severi et Aureliani Imperatorum, ut quidam putant, eo in loco ubi Judæorum est campus, ubi quædam vetustissima ædificiorum vestigia videntur.

362 B : Hodie quidem prope Tyberim portamque *desunt*.

363 B : Farnesii pulcherrimus.

364 A : ecclesiae.

365 A : Alexander.

366 A : sepultus ; B : sepultus est.

367 B : Brundosino.

368 B : ἀίκων.

369 B : ὧν.

370 B : nobili familiae.

Non longe hinc horti fuere Cæsaris et naumachia in quam Alsietinam aquam induxit, ubi adhuc pars aquæductus visitur. Sunt et ibi hodie adhuc Navalia, ibi naves per Tyberim vectæ³⁷¹ stationes suas habent.

Narrant in Monte Aureo Divum Petrum Apostolum ultimo Neronis anno cruci affixum pedibus in sublime elatis fuisse ; sacellum ibi sphæricum perelegans excitatum est. Ex eo loco perapte atque commodissime totius pene urbis ædificiorumque situs et amplitudo conspici potest.

Occurrit jam Tyberis fluvius quem antequam transgrediamur ; narrandi mihi sunt pontes quorum hodie quinque numero, et insula ipsa, in medio fluvii alveo sita ; pons Divæ Mariæ qui Senatorius dictus fuit ; supra hunc fuit et pons Sublicius, cujus vestigia in ripa Tyberis adhuc visuntur. Deinde sequitur insula quæ duobus pontibus, et cum urbe et cum Janiculo conjungitur, is qui urbem attingit, Quatuor Caputum pons dicitur hodie, a simulachris cum quatuor capitibus [84v] seu quadrifrontibus quæ in aditu pontis adhuc extant ; hæc³⁷² ex marmore sunt, Janique putantur fuisse effigies.

Fabritium veteres dixere, quod ejus construendi Fabritius³⁷³ præfectus esset, quod ex inscriptione constat, quæ in ipsius pontis arcu adhuc legitur :

L(ucius). F'AB'RICIVS. C(aii). F(ilius). CVR(ator). VIAR(um). FACIVNDVM. CVRAVIT. IDEMQ(ue). PROBAVIT. Q(uintus). LEPIDVS. M(arci). F(ilius). LOLLIVS. M(arci). F(ilius). CO(n)SS(ules). (ex) S(enatus). C(onsulto). PROBAVERVNT.

Alter ad Janiculum Cestius est dictus, nunc a Divi Bartholomei templo ibi vicino Sancti Bartholomei pontem dicunt, a Valentiniano³⁷⁴ aliquando atque a Valente tum a Gratiano Imperatoribus³⁷⁵, ut ex titulo qui a dextra et sinistra legitur, instauratum legimus, quia prolixus est eum annotare nolui.

Antequam autem ulterius progrediar et insula ipsa mihi describenda erit, quæ olim Jovis Lycaonii nominata fuit, deinde et Æsculapio sacra est. In ea tria fuere templa illustria Jovis, Æsculapii ac Fauni. Jovis ibi aiunt fuisse ubi³⁷⁶ Divi Joannis Baptistæ nunc est fanum.³⁷⁷

Æsculapii ubi Divi Bartholomæi templum, cujus dei effigies serpens fuit, atque ab Epidaurò Sybillinorum librorum monitu traductum est. [85r]

In navis vero memoriam, qua serpens invectus est ex marmore Tasio navis facta est, ex una parte serpentis habens simulachrum, quæ hodie adhuc in hortis Divi Bartholomei videtur, in templo quatuor columnæ ex ophite et labrum porphireticum pulcherrimum visitur.

Fauni templi vestigia parva extant, cum flumen id omnino corroderit.

Sequitur post insulam pons Sixtus qui olim a Janiculo Janiculensis dictus erat. Sixtus III Pontifex in eum cultum quem videmus instituit. Fuit intra hunc pontem et pons Sancti Angeli, pons Triumphalis, de quibus ambobus superius dictum est.

371 B : vestae.

372 A : haec est.

373 B : Fabribus.

374 B : Valentiam.

375 A : imp ; ; B : Impp.

376 B : ub.

377 B : D(ivi) Baptistae est fanum.

Omnibus transtyberinis transgressis, ea pars urbis quæ cis Tyberim sita, mihi narranda est, sed antequam ad septem colles urbis - sic etenim a scriptoribus dividitur - pervenero, planities illa amplissima urbis intra Quirinalem, Tyberim et Capitolium, quæ Campum Martium, circos quosdam et fora continet, mihi tractanda est : illa etenim urbis pars maxime hodie populosa et habitata conspicitur, cum reliqua et præcipue colles, ruinis et arbustis plena sint.

Initium itaque sumam³⁷⁸ a ponte Castelli Sancti Angeli, a quo directe progrediendo, pulcherrima occurrit via, ædibus [85v] palatiisque variis per quam ornata, inde antequam veniatur ad Campum Floræ³⁷⁹ occurrit palatium ex quadratis lapidibus sumptuosissimum *la Cancellaria* vulgo vocant ; a latere est domus quædam privata, in cujus area pulcherrima Bacchi cum Satyro statua visitur.

Ubi hodie Campus Floræ est, pulcherrimum Pompei fuit theatrum, et curia ejus ante theatrum fuit, ubi nunc est Ursinorum familiæ palatium. Non longe huic est Farnesiorum palatium, quod Paulus III Pontifex, miro sumptu atque magnificentia extruxit, sed nondum perfecit.

Videtur iis in ædibus magna et ingens copia antiquitatum variarum, maxime autem pulcherrimarum statuarum Mercurii, Veneris, Jovis et plurima Romanorum veterum capita et effigies, et Pauli III statua ænea, miræ delectationis et artis.

E regione harum ædium est privata medici cujusdam, in qua et varia antiqua³⁸⁰ monumenta videre³⁸¹ licet.

Habet autem inter alia statuam Adonidis marmoream, justam hominis magnitudinem excedentem, dextra arcum et spicula, læva caput apri tenens, tanti artificii et pulchritudinis quod omnibus intuentibus admiratio artis stuporem profecto injiciat ; inter tot millia statuarum Romæ pulchriorem non inveniri affirmant ; aiunt eum prætium [86r] 9 000 aureorum pro ea denegasse. Vix lapidis jactu huic est palatium non amplum, uerum admirandæ pulchritudinis omniumque deliciarum refertum, cardinalis de Capæ Ferro³⁸² dicti. Habet et is cardinalis elegantissima antiquitatum monumenta, maxime autem colosseam marmoream statuam Augusti Imperatoris, Venerem insigni manu sculptam et nudi rustici in corvo flexu corporis falcem acuentis, statua maximi artificis³⁸³, breviter, omnium pene Imperatorum clarissimorumque Romanorum marmorea capita et effigies.

Non longe a Campo Floræ extat templum Divi Laurentii in Damaso cognominati, in quo sepultus est doctissimus vir Petrus Marsus, cum hoc epitaphio :

Quæ sola eloquii superabat gloria, et illam perdidimus, tecum vixit et interiit.

Intra Campum Floræ et Pantheon, versus orientem, in medio nunc quasi urbis centro extat pulcherrima agonalis circi forma, quem vulgo *la Piazza del Agone* vocant, qui hodie omnium est pulcherrimus quanquam nil aliud quam forma solum ipsa extet.

378 B : summum.

379 B : antequam ad campum Floræ occurrit.

380 B : antiquatum.

381 A : invidere.

382 B : Cape Ferro.

383 A : artificii.

Prope hunc circum est aedes Sanctæ Mariæ de Anima, a natione Germanica a fundamentis extracta, ubi marmore et structura conspicuum Hadriani VI sepulchrum, Guilhelmus [86v] Enckenfort³⁸⁴ cardinalis Derthusensis³⁸⁵ faciendum curavit, cujus et sepulchrum non inelegans ibi videtur³⁸⁶. Sepultus est et Valerius Cordus eodem in templo cum hoc epitaphio :

Valerio Cordo Simesusio³⁸⁷ Hesso, Euricii³⁸⁸ filio, moribus, ingenio, comitate, præstantissimorum Doctorum omnium admirationem merito qui naturæ obscuritatem et herbarum vires adolescens senibus explicavit, cum expleri cupiditate cognoscendi non posset, perlustrata Germania, Italiam adiit, Venetiis in honore habitus et Romam vix ingressus, subito morbo inter amicorum lacrymas non recuperabili studiorum jactura, optimo ætate³⁸⁹ extinguitur. Anno Salutis³⁹⁰ M.D.XL.III. VII Calen : Octob :

Ingenio superest Cordus, mens ipsa recepta est
Cœlo, quod terræ est, maxima Roma tenet :

Non longe hinc truncæ statuæ effigies, *Pasquillum* vocant, erecta est, cui certis temporibus cuicumque³⁹¹ libuerit in unumquemque etiam ipsum Pontificem libellos famosos, scommata et dicteria affigere, liberum et impune³⁹² est.

Inde occurrit Pantheon in Campi Martii principio, quem³⁹³ [87r] ad septentrionem, Capitolium vero ad meridiem habet, quod hodie fere integrum cum porticu videmus tametsi veteribus suis ornamentis staturisque careat a figura rotunda Diva Maria Rotunda³⁹⁴ hodie dicitur, Agrippa, scribente Plinio inscriptioneque indicante Jovi Ultori³⁹⁵ posuit Pantheumque appellavit, nam post Jovem diis etiam omnibus dicavit, ut ex vocabulo intelligitur.

In frontispicio hanc habet inscriptionem :

M(arcus). AGRIPPA. L(ucii). F(ilius). CO(n)S(ul). TERTIVM. FECIT.

Inferius notis minutioribus a quibus instauratum sit :

Imp(erator). Cæs(ar). L(ucius). Septimus Severus Pius Pertinax Arabicus, Adiabenicus, Parthicus, Max(imus). Pont(ifex). Max(imus). trib(unicia). pot(estate). XI. Co(n)s(ul). III.

384 B : Enconfort.

385 B : Derthusiensis.

386 B : non inelegans videtur.

387 AB : Simefusio.

388 AB : medici et poetae *desunt*.

389 L'inscription porte : FLORENTE AEO.

390 L'inscription porte : ANNO AETAT. XXIX. M.D.XLIII.

391 AB : cuicumque.

392 A : impume.

393 B : quae.

394 A : a figura rotunda D(iva) Maria hodie.

395 B : Jovi alteri.

P(ater). P(atriæ). Proco(n)s(ul). et Imp(erator).³⁹⁶ Cæs(ar). M(arcus). Aurelius Antoninus³⁹⁷ Pius fœlix Aug(ustus). trib(unicia). pot(estate). V. Co(n)s(ul). Proco(n)s(ul). Pantheum vetustate corruptum cum omni cultu restituerunt.

Porticus etiam factus XVI columnis admirandis sustinebatur, nunc XIII tantum sunt, duas ignis consumpsit, una autem deest. Hujus porticus trabes ænei sunt, atque inaurati templum adhuc ex pulcherrimo ære habet fores, easdem quæ antiquitus fuerant.

A lateribus portæ loculi adhuc visuntur, ubi positæ erant Augusti atque Agrippæ statuæ colosseæ.

In medio templum foramen habet ad lumen diei accipiendum. Variis marmoribus [87v] stratum est pavimentum in quo multa foramina ad aquam pluviam excipiendam habentur, ejus templi altitudo CXLIII pedes totidemque latitudo continet. Multis in id gradibus descenditur cum olim septem ascenderetur, ruinæ ingentes ædificiorum quæ hic sunt causam esse, putandum, quibus terra sublata est. Tectum templi plumbeis laminis tegitur, cum antiquitus ex argenteis tegetur, sed eas Constantinus III cum omnibus antiquis ornamentis Romam veniens submovit, ut Bizantium illis ornaret, quæ tamen omnia a Barbaris direpta in Ægyptum transvecta sunt. Scribunt autores³⁹⁸ hunc Constantinum septem diebus quibus Romæ commoratus est, majus detrimentum attulisse, nihil enim omisit quod non abstulisset, quam Barbaros C.C.L. annis depopulari potuisse.

Post Pantheum, ea parte qua Capitolium spectat, extant adhuc vestigia nonnulla thermarum Agrippæ quæ valde³⁹⁹ magnificæ fuere, inter cætera enim earum ornamenta pavimenta vitrea habuere. Fuit et ibi cujus adhuc vestigia apparent, quædam extant Boni Eventus templum⁴⁰⁰ quod maxime a veteribus colebatur.

Post Divi Eustachi templum extant⁴⁰¹ quædam fornices thermarum Neronis quæ Martialis testimonio pulcherrimæ fuere. [88r]

Non longe hinc sunt ædes cardinalis de Valle apud quem antiquitatum ingentem numerum videre licet, quanquam post mortem ejus nobiliora et maxima pars hinc inde distracta sint ; neminem etenim Romanorum in hoc studio præsertim nobilium numismatum⁴⁰² suo tempore eum excelluisse affirmant ; in Divi Macuti area obeliscus exiguus et multa obeliscorum fragmenta. In radicibus Capitolini montis fuit circus Flaminius, ubi nunc Divæ Catherinæ fanum et Divæ Luciæ templum.

Redeundo ad Pantheum atque inde progrediendo, occurrit Divæ Mariæ Minervæ cognomento fanum quod olim Minervæ fuit templum.

396 B : Max(imus). Trib(unicia) ; pot(estate). XI. Co(n)s(ul). III. P(ater). P(atriæ). Proco(n)s(ul). et Imp(erator) *desunt*.

397 A : Antonius.

398 B : auditores.

399 B : valle.

400 A : adhuc vestigia, quædam extant Boni Eventus templum ; B : adhuc vestigia apparent Boni Eventus templum.

401 B : Post D(ivi) Eustachi extant.

402 AB : nomismatum.

Speculator⁴⁰³ in eo sepultus est. Ubi Diva Maria est in Via Lata, fuit via Lata olim quæ a Capitolio ad Septa usque protendebatur. Ad hujus viæ⁴⁰⁴ partem meridionalem inter Capitolium et montem Quirinalem fuit forum Trajani, ubi hodie columna illa pulcherrima erecta stat, mirabili artificio atque sculptura facta, quæ Dacicum⁴⁰⁵ bellum, atque⁴⁰⁶ alia memorabilia hujus principis gesta demonstrat. In ipsius autem columnæ basi indicium est quod indicat ad planitiem ejus loci æquandam tantum terræ inde asportatum ut collem satis editum tolleret :

Id autem hujusmodi [88v] est :

Senatus Populusq(ue) Romanus Imp(eratori) Cæs(ari) divi Nervæ. f(ilio). Nervæ Trajano Aug(usto). Germ(anico). Dacico. Pont(ifici). Maximo⁴⁰⁷ trib(unicia). pot(estate) XVII⁴⁰⁸Imp(eratori). VI. Co(n)s(uli). VI. P(atr)ri. P(atr)riæ. ad declarandum quantæ altitudinis mons et locus tantis operibus sit egestus.

Hæc columna interius cochleata est pedum altitudine CXXVIII ad ejus fastigium⁴⁰⁹ gradus CLXXIII ducunt et habet⁴¹⁰ XLVIII fenestellas, in cujus apice principis hujus ossa fuere, hodie nec reliquiæ nec locus ipse visitur, cum ipse diligenter omnia perlustrarem. Habuit et forum hoc, autore Dione, porticum pulcherrimam⁴¹¹ columnasque ea magnitudine ut spectantes admiratione obstupeferent ; infinitis statuï clarissimorum hominum ornatum erat, et simulacra undique equorum inaurata. Inter cætera et mihi propter viri nomen et hoc narrandum est, Claudiani poetæ statuam ibi fuisse, cujus inscriptio adhuc Romæ est :

CL. CLAUDIANI. V.C.

Claudio Claudiano V(iro). C(larissimo). tribuno et notario inter cæteras ingentes (*sic pro* : decentes) artes prægloriosis(simo) Poetar(um) licet ad memoriam sempiternam Carmina ab eodem scripta sufficiant : attamen testimonii gratia ob judicii [89r] sui fidem DD(omini). NN(ostr)ri). Arcadius et Honorius foeliciss(imi) ac doctiss(imi) Imp(er)atores, Senatu petente, statuam in foro Divi Trajani erigi collocariq(ue) jusserunt.

Marcellinus tradit Constantem Constantini filium, cum Romam venisset excellentiamque ac magnitudinem in foro ingentium operum esset admiratus, stupefactum novitate omni spe talia efficiendi tandem dixisse, se tamen Domitiani equum imitari velle, qui in medio ipsius atrio esset, quamobrem omnisdam sibi prius opus esse respondisse : "Stabulum equo tali parandum quod ab equi⁴¹² dignitati non abhorreret".

403 A : Speculatur.

404 A : vitæ.

405 AB : Daticum.

406 A : ad.

407 A : Po(n)t(ifici) Magximo.

408 B : XVIII.

409 AB : vestigium.

410 AB : habent.

411 B : pulcherrimum.

412 B : parandum, ab equi.

Ad viæ Latae partem septentrionalem, in Campo Martio, extat alia columna cochlidis Antonini Pii Imperatoris, CLXXV pedum altitudine, LVI habet fenestras, gradus difficile numerari possunt, cum sint vetustate dissipati. In ea hujus principis gesta incisa sunt, nunc semiconsumpta igni est, in apice ejus simulachrum⁴¹³ fuit, ut ex suis numismatis apparet. Fuit et huic optimo principi prope templum positum, nec procul hinc prope Divi Stephani templum cognomento Trullii ; porticus pervetusta est, cujus neque principium neque finis⁴¹⁴ ullus discernitur, XI tantum ingentes quidam⁴¹⁵ [89v] columnæ marmoreæ sunt, ita dispositæ ut quadram hanc fuisse porticum demonstrant. Antonini Pii opus fuisse putant.

Progrediendo hinc, in radicibus Quirinalis et collis Hortulorum videtur aqua Virgo quæ una ex tot quæ quondam Romam inductæ erant, hac ætate durat. Non longe est ab ea palatium⁴¹⁶ familiæ Buffolorum⁴¹⁷, in cujus hortis fons est amœnissimus tanto artificio naturam imitante factus, quod omnes vivum quoddam saxum atque naturale antrum ubertate aquarum ibi nascentium esse judicarent.

Visuntur et ibidem quædam antiqua monumenta, Cerberus marmoreus, leo et diversæ statuæ.

Inde septentrionem⁴¹⁸ versus sunt Septa, non longe inde naumachia, prope Septa versus Acitorium collem in via Flaminia quæ versus portam Populi vergit, est arcus Domitiani vulgus *Tripolim* vocat, quanquam nullam habeat inscriptionem, in eo tamen vera ejus ac pene viva effigies expressa videtur, sicut ex ejus numismatis depræhenditur, infra urbis direptæ est imago, prope Victoria Pallasque gratulantis specie, ubi vero hodie est, non quidem procul hinc Divi Laurentii in Lucinia ædes, Lucinæ Junonis olim fuit templum. [90r]

Per lapidis⁴¹⁹ jactum pulcherrimus obeliscus CX⁴²⁰ pedum quem in Campo Martio Augustus locaverat diffractus conspicitur, in quo, ut Plinius meminit, philosophiæ Ægyptiorum⁴²¹ interpretatio inscripta continebatur ; notæ adhuc hieroglyphicæ in eo visuntur ; addit idem autor huic obelisco Augustum mirabilem usum addidisse ad depræhendendas⁴²² solis umbras dierumque ac noctium longitudinem strato lapide ad obelisci magnitudinem subdiditque⁴²³.

Manilium mathematicum apici auratam pilam addidisse, cujus vertice umbra colligeretur in semetipsam⁴²⁴. In quodam hujus latere, hæc hodie leguntur :

CÆSAR⁴²⁵ DIVI. I. F. Augustus Pontifex Maximus Imp(erator) XII. Co(n)s(ul). XI. trib(unicia) pot(estate) XIV⁴²⁶. Ægypto in potestatem populi Ro(man) redact(a). Soli donum dedit.

413 B : sepulchrum.

414 A : finus.

415 A : quidem.

416 B : Non longe est palatium.

417 A : Buffalorum.

418 A : septettrionem.

419 A : lapides.

420 A : ex.

421 A : Aegiptiorum.

422 AB : depræhendendas.

423 AB : subdiditque.

424 B : semetipsum.

425 A : CAECAR

426 AB : XVI

Eundo hinc ad portam Populi a sinistris, non longe a Divi Rochi templo qui locus hodie Augusta dicitur, admirandum mausoleum ab Augusto constructum fuit, idque nil aliud erat⁴²⁷ quam sepulchrum quo omnes Imperatores ejusque affines condi voluit ; ita autem appellavit, quod tam superbe atque magnifice esset factum quam mausoleum Mausolo⁴²⁸ Regi Cariæ ab Artemisia uxore conditum.

Erat ex candido lapide constructum, XII habuit portas sibi [gov] invicem oppositas, in vertice, quem CCL cubitorum altitudine fuisse volunt, æneum ipsius Augusti simulacrum fuit, ipsa quidem sepulchra non admodum e terra tollebantur ; ex posteriori parte loca ad spaciandum pulcherrima habuit lucosque amœnissimos ac viridissimos ; hodie rotundus⁴²⁹ solum atque circularis murus⁴³⁰ ex tesselatis⁴³¹ lateribus extat, in privati civis ædibus positus, qui area ipsius mausolei pro horto utitur.

Duo æquales obelisci juxta mausoleum fuere, quorum uterque XLII pedum cum dimidio longitudinem continebat, alter fractus in via inter hunc locum et Tyberim spectatur, alter post Divi Rochi templum⁴³² terra oppletus ruderibusque tectus jacet.

Inde occurrit porta Populi, ad quam ex Campo Martio itur, quanquam is Campus olim extra mœnia⁴³³ fuerit, sed toties urbs ampliata et mutata, quod jam mœnibus inclusus sit atque maxime habitatus ædificiis plenus conspiciatur.

Dicitur hæc porta a Divæ Mariæ fano cognomento Populi pulcherrimo, in quo conspiciuntur duo sepulchra marmorea sumptuosissima Ascanii Mariæ Sfortiæ et Guilhelmi (sic) Savonensis⁴³⁴ cardinalium, ab Andrea Sansovino sculptore mira arte facta. [91r]

Exeundo portam Populi per viam Flaminiam⁴³⁵ mille passibus ab urbe est villa Julia, a Julio III Pontifice dicta, vulgo dicitur la Vinea del Papa ; eo in loco Julius III plurimis vineis pratisque cœmptis, amplissimos hortos incredibilium deliciarum, lucos amœnissimos ex arantiis cedrisque et platanis⁴³⁶ consitos, prata fontium amœnitate delicatissima pulcherrimisque monumentis ornata extruxit, variis in locis æstuaria pulcherrima locavit, ad corporum diuturna ambulatione relaxatis reficiendorum gratia aptissima ; aliquot enim mille passus in circuitu continet, breviter, nil toto orbe terrarum deliciarum voluptatisque reperiri posse putem, quod eo in loco non contineatur.

Extruxit et ibi palatium sumptuosissimum in cujus porticu, statuæ antiquissimæ locatæ, Ciceronis oratoris ornatissima statua, omnia integra, Scipionis⁴³⁷ Africani⁴³⁸, Bruti reliquorumque complurimæ. Sed quid dicam de fonte pulcherrimo, qui in area constitutus conspicitur, cujus sumptus, pulchritudinem, artem et elegantiam nemo profecto qui intuetur

427 B : nil erat aliud.

428 A : Mausole ; B : Mausolæe.

429 B : rotundas.

430 AB : muros.

431 B : tesselatos.

432 AB : post D(ivi) Rochi terra.

433 B : Campus extra moenia.

434 A : Savenensis.

435 B : Flamminiam.

436 A : plalatus ; B : palatius.

437 AB : Scipiones.

438 B : Affricani.

satis mirari potest ? Habet enim porticus, habet deambulacra, æstuaria pulcherrimis atque præciosissimis columnis marmoreis [91v] fulta, pavementum undique varii generis marmoribus mira arte atque picturis naturalibus stratum, ingens antiquarum statuarum ornandi ejus gratia numerus undique locatæ, mira antiquitate et arte, pueri marmorei aquam ex urnis fundentes conspiciuntur, in pulcherrima labra marmorea, in quibus piscium variorum numerus visitur.

Inter statuas antiquas spectatur miræ vetustatis artisque delicatissimi nymphæ supine dormientis effigies, susurranti⁴³⁹ undæ apposita, adest et Mercurii statua pulcherrima Cleopatræ, Veneris aliquot Pudicitiaë velatis manibus - sic etenim antiqui eam denotabant - sed quid immoror⁴⁴⁰, si omnia visu digna eo in loco mihi narranda essent, profecto nec stylus nec plurimi dies sufficerent.

Mille passibus et plus hinc, antequam Tyberis trajiciatur, occurrit pons Milvius, hodie corrupte "mollem" nuncupant, is antiquissimus est a Marco Scauro, qui temporibus Syllæ fuit, conditus.

Sed nunc revertamur ad urbem, perlustratis itaque jam his quæ in urbe maxime habitata et populosa hodie sunt ; ea etenim loca quæ descripsimus [92r] proprie urbs nostro tempore dicitur, quanquam et reliqui septem colles, qui olim maxime habitata fuere, muro adhuc inclusi sint. Sed nostro sæculo maxime Palatinus collis, ruinis omnia plena vinetis dumisque obsita, in pascua ovium et boum⁴⁴¹ mutata sunt :

Sunt itaque septem colles hi : Capitolinus, Aventinus, Cælius, Exquilinus, Viminalis, Palatinus et Quirinalis⁴⁴² ; adjectus est et alius collis Hortulorum, et Cæliolus et Janiculum et Vaticanus de quibus duobus jam dictum.

Initium itaque sumendum a Capitolino tanquam insigniori, et quod urbi hodie populosæ magis immineat, sed de reliquis collibus non adeo clare et enucleate tractabo, cum eorum⁴⁴³ (vel ædificiorum causa, quæ in iis vallibus extracta, vel ruinarum impediunt) explicata, ac distincta ratio ægre haberi potest. Dicitur est quoque hic mons Tarpeius qui, teste Cicerone, sacris ceremoniis dicatus fuit ; innumera etenim deorum templa variaque ornamenta in eo fuere⁴⁴⁴, hodie tamen omnibus iis spoliatus⁴⁴⁵ collis in pristinum statum, et ferme ad antiquam solitudinem, qua ante urbem conditam fuerat, redactus videtur.

Narrat Cassiodorus summum esse miraculum [92v] Trajani forum spectare, Capitolium vero omnia omnium mortalium ingenia, longo intervallo superare ; sæpius igne consumptum fuit sæpiusque restitutum, a Domitiano semel reffectum fuit, septuagesies septies centenis millibus aureorum.

Habet duo juga : in eo ubi hodie est palatium Conservatorum sic dictum, fuit Capitolium ; et ubi templum Aræ Cœli, fuit Arx Capitolina. Undique in Capitolio plurima fuere templa, Jovis Tonantis templum ibi ubi hodie sontes puniuntur, Fortunæ, Saturni ubi vetus fuit ærarium. In Capitolii margine, ex ea parte quæ apposita est foro cui Montanario nomen est,

439 B : susurrati.

440 A : immiror.

441 B : bovum.

442 B : Capitolinus, Palatinus, Aventinus, Cælius, Exquilinus, Viminalis et Quirinalis.

443 B : enucleate, cum eorum.

444 B : variaque in eo fuere, hodie.

445 A : stoliatus.

celeberrimum Jovis Optimi Maximi templum fuit ; quo in loco Sancti Salvatoris cognomento in Maximis extractum est. In eo pulcherrimæ et artificiosissimæ fuerunt statuæ, prout scribit Plinius. Cum Tarquinius constitutum haberet, multis fanis⁴⁴⁶ sublatis, Jovis templum in eo extruere, per auguria deos rogavit, quorum antea templa fuerant, Jovi ne cedendum alio eorum fanis translatis, putarent, omnium sacellorum augurationes admisisse, aves in Termini fano non addixisse memorant ; quamobrem ea causa sacrificiis decretis ab auguriis moniti sunt. [93r]

Termini conjunctionem cum Jove, æternum imperium significare ; hujus dei templum in superiori parte foramen habebat, ut libera facultas esset cælum aspiciendi ; terminum enim nequaquam (sic pro : nequam) occultandum, imo latius dilatandum censebant. Addunt neque in Martis, neque in Juventæ fano, aves de Jovis templo addixisse, quasi terminus sua firmitate imperii stabilitatem, ii vero partim florentem viridemque perpetuitatem nullo timore⁴⁴⁷ senescentis vetustatis, partim virtutem in bellicis rebus gerendis significarent.

Ab altero montis jugo est templum Aræ Cœli pulcherrimum cum monasterio, in fundamentis Jovis Feretrii templi (quod antiquissimum Romæ fuit, Romulus enim id extruxerat) ædificatum. Habet in ascensu gradus 128 ex marmoreis ornamentis templi quondam Quirini ; in monte Quirinali visitur, ante introitum templi epitaphium Flavii Blondi⁴⁴⁸, historici celeberrimi, his verbis :

BLONDO FLAVIO FORLIVIENSI,

Historico celebri, multor(um) Pont(ificum). Romanor(um) secretario fideliss(imo), Blondi q(ui)ng(ue) filii patri bene mere(n)ti unanimes posuere. Vixit an(n)os. LXXV. Obiit. pr(idie). non(is). Junii. Anno Salutis Chri(sti)anæ M.CCCC.LXIII Pio P(ontifice). M(aximo). sibi natisq(ue) fave(n)te.⁴⁴⁹ [93v]

In ipso templo sepulti jacent Joannes Buccaballa⁴⁵⁰ poeta, Ludovicus Gratus, Margonius (sic pro : Marganius) mathematicus, Seraphinus Oductius⁴⁵¹ philosophus :

Est et in eo Nicolai Bartholomei Vallarum, Nicolai Vallæ tumulus, hoc epitaphio⁴⁵² :

NICOLAO DE VALLE. LEG. D. basilicæ

Principis Apostolor(um) Canonico. Lælius in memoria(m) dulciss(imi) filii posuit. Hic in vita sua nulli maledixit, sine voluntate pare(n)tis nihil fecit, magno et⁴⁵³ excellenti claruit

446 A : fatis ; B : famis.

447 B : tempore.

448 A : Blandi.

449 Nous donnons le texte de A ; B = BLONDO FLAVIO FORLIVIENSI historico celebri, multorum Pont(i) f(icum) Romanorum secretario fideliss(imo) Blondi quinq(ue) filii, patri benemerenti inanimis (sic) posuere. Vixit annos LXXV, obiit pr(idie) Non(is) Junii, anno Salutis Christianæ MCCCCLXIII, Pio P(ontifice) M(aximo) sibi natisq(ue) favente.

450 A : Burcaballa.

451 B : Odactius.

452 A : Nicolai Vallæ hoc epitaphio.

453 B : magno et.

ingenio, Iliadem Homeri et Hesiodum heroico carmine in latinum vertit. Obiit primo juventutis flore. max(ima) omnium mœstitia M.CCCC.LXXIII. VI.Cal : Octobr.⁴⁵⁴

Multas antiquissimas habet hoc templum columnas, in quarum una legitur : A CVBICVLO. AVGVSTOR(um).

In templi exitu parvus sed vetustate insignis obeliscus est⁴⁵⁵, cum notis Ægyptiis⁴⁵⁶ hieroglyphicis Imperatoris.

Fuit et olim ibi Jovis Custodis templum. In foro Conservatorum volunt fuisse Asylum ubi nunc est Misericordiæ templum.

In area ipsius Capitoli videtur hodie statua equestris ex ære atque deaurata [94r] Marci Aurelii Philosophi, quamvis Lucio Vero nonnulli, vel Septimio⁴⁵⁷ Severo assignent ; fuit antea ante Divum Joannem Lateranensem, sed Paulus III⁴⁵⁸ Pontifex in locum digniorem transtulit ; admirandæ est inter cæteras urbis antiquitates artis et pulchritudinis. In porticu palatii Conservatorum est ingens caput illudque æneum Commodi Imperatoris (meam longe excedebat longitudinem) qui e Neronis colosso dejecto suum in eodem reposuit ; manus similiter atque pes ingenti magnitudine spectatur. Ante porticum, duo maxima fluminum simulacra⁴⁵⁹ ex marmore nuda, ac pari forma apparent. Nilum, Tygrimque⁴⁶⁰ nonnulli putant repræsentatos⁴⁶¹, quod alter sphingi peculiari bestię Ægypti nititur, alter Tygridem feram immanissimam habet Erminiæ (*sic pro* : Armeniæ), qua Tygris præterfluit, uterque vero ad rerum omnium quæ ad tuendam vitam pertinent, abundantiam significandam cornucopiam⁴⁶² manu tenet.

Visuntur et prope sphinges ex atro marmore variaque et antiquitatum et inscriptionum monumenta.

In interiori porticu seu area palatii, caput pedesque ingentis magnitudinis cujusdam colossi marmorei, et plurima statuarum pulcherrimarum fragmenta, leo, simia variaque alia præterea opera marmorea sculptæque magno artificio tabulæ et muris⁴⁶³ inserta Antonini ex Dacico [94v] triumpho ibidemque lapidum fragmenta, muro quantum fieri potuit insita, in quibus consulum, dictatorum ac tribunorum militum cum potestate consulari nomina sculpta leguntur summuntque⁴⁶⁴ a nominibus Romanorum Regum principium⁴⁶⁵ atque ad Augustum Imperatorem usque perveniunt. Extat et similis lapis quadratus ad radices

454 Nous donnons le texte de A. Celui de B est le suivant : NICOLAO DE VALLE LEG. D. BASILICAE Principis Apostolorum canonico, Laelius in dulciss(imam) memoriam posuit. Hic in vita sua nulli valedixit (*sic*), sine voluntate parentis nihil fecit, magno et excellenti claruit ingenio. Iliadem Homeri et Hesiodum heroico carmine in latinum vertit.

Obiit primo juventutis flore, max(ima) omnium maesticia M.C.CCC LXXIII VI Cal. Octobris.

455 B : insignis est obeliscus.

456 A : Aegiptiis.

457 B : Septimo.

458 A : 3.

459 B : duo maxima simulacra.

460 A : Tygrinque.

461 B : repræsentantes.

462 AB : cornucopiae.

463 B : murtis.

464 B : sumuntque.

465 B : principum.

Capitolii prope Septimi arcum. In penetralibus palatii simulachrum Herculis adhuc puberis, æneum inauratumque præterea nudum spectatur, dextra clavam tenens, sinistra aurea poma quæ ex hortis Hesperidum abstulerat.

Visitur et ibi Satyrus miræ pulchritudinis, et ænea lupa cujus uberibus Romulus ac Remus lactantes inhiant. De hac Cicero ac Vergilius semper intellexere, Livius hoc signum ab ædilibus ex pecuniis quibus multati essent fœneratores annuit positum (*sic pro* : positum innuit), antea in Comitiiis ad vicum Viminalem (*sic pro* : ad ficum Ruminalem) quo loco pueri fuerant expositi locatum fuisse pro certo est.

Visuntur ibidem et ænea simulacra duo, sed pusilla alterum stare videtur, instar habitu servi, alterum nudum innixumque pastori persimile corpore inclinato, spinam acu evellere de pede videtur, veteri operis insigne.

Visuntur et aliæ nonnullæ⁴⁶⁶ [95r] ibi marmoreæ statuæ haud magnæ, verum mutilatæ, suis loculis collocatæ, picturæ vero in parietibus septem Regum gesta expressa, præterea fortissimorum ducum Romanorum triumphos ac victorias habent. In superiori aula videtur marmoreum ingensque Leonis X⁴⁶⁷ Pontificis simulacrum et Pauli III a Romanis illis erecta.

Quot pulcherrimis rebus olim Capitolium⁴⁶⁸ ornatum fuerit, varii autores maxime Plinius scribunt.

Expositis iis quæ in Capitolio sunt, priusquam ad Palatinum venturus sum, quo res lucidior⁴⁶⁹ sit, de ea valle quæ totum montem ambit, dicturus sum ; magna est apud plurimos de vicis et Foro Romano, ubi fuerint et quousque se extenderint, contencio. Sed ego limitibus harum rerum ad investigandum omissis simplici ratione, hanc vallem describam.

In descensu itaque meridionali et orientali Capitolii descendebatur ad Forum Romanum qui omnium locorum antiquitus in urbe fuit celeberrimus. Scribit Livius ad terrorem increscentis audaciæ media urbe, imminentem foro ædificasse carcerem. Huic Servius Tullius⁴⁷⁰ subterraneum locum addidit, quem *Tullianum* vocavere, hunc Sallustius⁴⁷¹ apte describit, signa adhuc atque crassissimi lapidei parietes hodie apparent [95v] in subterranea crypta. Dedicatus est nunc is locus Divo Petro cognomento in Carcere, in hujus frontispicio hæc leguntur :

C(aius). VIBIVS. C(aii). FILIVS RVFIN(us) M(arcus). COCCEIVS. M(arcus). F(ilius). NERVA. CO(n)S(ul). EX. S(enatus). C(onsulto).

Ante carcerem, ingens simulacrum humi stratum jacet, *Marphorium* appellant ; quid fuerit multi dubitant, quoniam vero tuberculis pannis⁴⁷² similimis refertissimum videtur saxum, in quo tanquam in tectulo cubat, ideo adducti sunt, ut Jovis Statoris statuam putarint.

466 B : nonnullae aliae.

467 B : X *deest*.

468 B : Capitolium *deest*.

469 A : lucidio.

470 AB : Tullus.

471 AB : Salustius.

472 B : parib(us).

Marphorium⁴⁷³ præterea deum a templo Divæ Martinæ⁴⁷⁴, quod olim Marti dicatum fuisse volunt, quod eo loco est proximum et foro Augusti, quod fuit eo in loco ubi nunc est templum⁴⁷⁵ Divi Hadriani in Tribus Foris cognominatum, fuit olim vetustis simulachris ornatissimum.

Huic contiguum orientem versus est Forum Transitorium seu Nervæ Imperatoris in cujus medio stabat columna ænea, miræ magnitudinis, quæ sustentabat totum fori tectum, ex laminis orichalci substructum, unum ex omnibus Nervæ forum⁴⁷⁶ habet hodie ornamenta quædam vetustate et incendio corrupta, et parietes amplos a superiore latere, ubi est parva porticus incendio fere consumpta, qui locus hodie ab imperitis vocatur [96r] “Arca Noë”, tanquam arcus Nervæ ; sed paululum digressi revertamur ad carcerem, sub quo est arcus triumphalis Septimii Severi Imperatoris, quem cæteris omnibus Romanis pulchritudine longe præstitisse commemorant, nunc semiustus ac dirutus ruderibusque oppletus, tanta ruinarum altitudine quod exteriores duæ portæ⁴⁷⁷ vix appareant. Hic victoriæ alatæ⁴⁷⁸ et simul trophæa bellique reliqua simulacra terrestria navaliaque pulchra arte sculpta conspiciuntur ; hanc habet inscriptionem :

IMP(eratori). CÆS(ari). LVCIO. SEPTIMIO M(arci).⁴⁷⁹ FIL(io). SEVERO PIO PERTINACI AVG(usto). PATRI.⁴⁸⁰ PATRLÆ.

Et cum⁴⁸¹ valde prolixa sit, eam annotare huic nolui. Versus Tyberim pulcherrimum Concordiæ fuit templum, quod Camillus vovit et condidit. Adhuc porticus pars templi hujus extat, quæ octo ingentibus columnis sustinetur, in quarum una hæc leguntur :

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS INCENDIO CONSVMPVTVM RESTITVIT.

In hoc ipso crebro Senatam haberi mos erat, quare Curia a Lampridio nominatur. Habuit Plinio autore statuas pulcherrimas a nobilissimis statuariis factæ.⁴⁸²

Erat et prope hanc et altera multo major porticus, opere Corinthio, cujus adhuc extant tres in angulo columnæ striatæ marmoreæ. In Septimiani fornicis conspectu Miliarium [96v] Aureum Romanum fuisse ferunt ; fuit autem columna ex qua ubi tradit Plinius omnes viæ Italiæ initium capiebant, ex hac enim columna discedentes ad quasvis urbis portas erat accessus, quidam ibi omnes Italiæ vias incisas, atque ibi terminasse putarunt.⁴⁸³ In urbis autem umbilico, eam constituunt, ad caput Romani fori locat Plinius, ad Saturni templum ponit Tacitus, hæc autem omnia inter se loca quam proxima fuisse certum est.

473 A : Marmophium.

474 A : D(ivæ) Martine.

475 A : ubi nunc templum D(ivi) Hadriani.

476 A : Nervæ foriæ forum.

477 A : portæ *deest*.

478 B : allatæ.

479 B : M. *deest*.

480 A : PATRII.

481 A : Cum.

482 A : fictæ.

483 A : putart.

Saturni templum id fuisse olim existimatur quod Divi Adriani hodie appellant ; habet adhuc hodie valvas æneas⁴⁸⁴ antiquissimas.

Statoris Jovis templum a Romulo ibi est conditum, ubi contra Sabinos stetit, cum Jovem orasset, ut sui⁴⁸⁵ prope terga vertentes stetissent, ad Palatini fuit radicem prope Divam Mariam Liberatricem, hic autem adhuc altissimi parietes extant, in extrema fori Romani parte. E regione istius templi fuerunt rostra in quibus magistratus sedentes jura administrabant, ex iis conciones fiebant legesque proferebantur, ibi quoniam locus esset celeberrimus statuæ erigebantur.

Habuit pro rostris Sylla auream statuam plurimique alii. Domitiani equus æneus qui, canente Statio, adeo memorabile fuit opus, ut etiam inauratum ac gemmis distinctum atque ornatum fuerit, in medio foro juxta eam columnam [97r] quam hodie solam stare videmus positus erat ; parvo hinc intervallo, nobilissimus lacus fuit quem Curtium appellavere, de quo varia efferuntur. Statius scribit equum Domitiani, Pauli Æmilii basilicam a sinistra, a dextris Julii Cæsaris templum habuisse, posteriori parte Concordiæ templum spectasse, quare apparet, in medio foro basilicam Pauli Æmilii pulcherrimam⁴⁸⁶ fuisse ; Plinius et columnis Phrygiis mirabilem, atque inter magnifica opera quæ Romæ spectari possent, numerat. Plutarchus novies centena millia nummum⁴⁸⁷ in hac basilica expensa scribit. Putant fuisse hanc inter illud templum quod hodie Divi Hadriani nomen habet, et pulcherrimum illud Faustinae⁴⁸⁸ templum, a marito sibi erectum, cujus bonam ipsius adhuc partem stare videmus, et simul decem ingentes columnas ipsius porticus, in quibus hæc habentur⁴⁸⁹ :

DIVO ANTONINO ET DIVÆ FAVSTINÆ EX S(enatus). C(onsulto).

In foro est columna, qua nullum ædificium sustentatur, solam ibi erectam putant, ut ea alienius fortissimi viri virtus, ut moris erat, illustraretur existimatur eam (Duillii qui primus navali prælio Carthaginenses superavit), fuisse. Sed quid omnia quæ in foro fuerunt olim, enarrare opus est ? Ea [97v] solummodo⁴⁹⁰ pertracto de quibus hodie ruinæ vel vestigia quædam extant.

Caligula⁴⁹¹ supra templum Augusti a Palatino ad Capitolium pontem superbissime⁴⁹² duxit, qui LXXX columnis candidissimi marmoris sustinebatur⁴⁹³, quarum tres adhuc ex Palatini, tres ex Capitolii parte stare videmus.

Prope Faustinae porticum est templum⁴⁹⁴ Divorum Cosmi et Damiani, quod Remi et Romuli fuisse⁴⁹⁵ volunt ; tabulæ marmoreæ plurimæ in parietibus visuntur, primo aditu

484 B : aeneas *deest*.

485 B : sibi.

486 B : pulcherrimum.

487 A : numum.

488 A : Faustini.

489 B : habent.

490 B : solummodo.

491 AB : Calligula.

492 A : superbisse.

493 B : sustentabatur.

494 B : Prope Faustinae templum est porticum.

495 B : esse.

rotundum est, superiori vero parte apertum ad lumen accipiendum instar Panthei, interior pars quadrati longioris formam tenet, durant adhuc vetustissimæ ipsius fores ex ære⁴⁹⁶ factæ. Hoc in loco desinit forum et via Sacra initium sumit.

Sequitur inde ruinatum Pacis templum, quod ex Curia Hostilia et basilica Porcia⁴⁹⁷, et ut quidam volunt Cæsaris domo, Vespasianus extruxit, magnitudine, pulchritudine ac divitiis omnia Romana templa superasse affirmant, nec mirum, cum in illo omnia vasa atque ornamenta prætiosa quæ ex Hierosolymæ templo exportata atque in triumpho a Tito ducta sunt, templo reposita fuerint, non [98r] obscurum sit.

Hujus vero triumphii ac victoriæ simulachra adhuc in ipsius Titi fornice spectantur. Inter ea vero quibus id templum ornatum ditatumque fuit, omnia indumentorum genera quæ in Salomonis familia plurimi æstimarentur, quod gemmis ornata essent, eo congesta atque importata fuere.

Sed hæc omnia Alaricus⁴⁹⁸ senior Gothus⁴⁹⁹ Roma capta ex hoc templo summovisse dicitur. Herodianus asserit istud⁵⁰⁰ templum repente, et prope divinitus sub Commodo Imperatore totum confligrasse.

Extant ibi hodie ingentes ruinæ, ac pars fornicis phrygeato opere atque columnæ miræ crassitudinis, sumptuosissimum fuisse opus ex ruinis aliquantum apparet.

Prope hoc templum ruinatum est monasterium Divæ Mariæ Novæ in cujus hortis duo fornices conspiciuntur vetustissimi, quorum alter ad occidentem, alter ad orientem spectat, quod Solis et Lunæ templa fuisse volunt. Contiguus est huic loco Titi Imperatoris arcus triumphalis imperfectus quidem et fractus vetustate ; hunc sibi ex Hierosolymæ victoria decrevere omnibusque qui triumphales essent antiquior existimatur.

In hujus frontispicio hæc habentur : [98v]

SENATVS POPVLVSQ(ue) ROMANVS DIVO TITO DIVI VESPASIANI F(ilio) VESPASIANO AVGVSTO.

Tale marmor in ruinis prope inventum est :

S(enatus) P(opulus) Q(ue) R(omanus)
 IMPE(ratori) TITO CÆSARI DIVI VESPASIANI
 FILIO VESPASIANO AVG(usto) PONT(ifici) MAX(imo)
 TR(ibunicia) POT(estate) X. IMPERATOR(i) XVII. XIII (sic)⁵⁰¹
 P(atri) P(atriæ) PRINCIPI SVO QVI PRÆ-
 CEPTIS PATRÆ CONSILIISQ(ue) ET
 AVSPICIIS GENTEM IVDEORVM
 DOMVIT, ET 'VR'BEM HIEROSOLY-
 MAM O(mn)IB(us) ANTE SE DVCIB(us) REGIB(us)
 GENTIB(us) AVT FRVSTRA PETIT'AM'

496 AB : aerae.

497 A : basilica Portia ; B : basilica portica.

498 AB : Alacrius.

499 A : Gotlius.

500 B : illud.

501 AB : XIII (au lieu de COS VIII).

AVT O(mn)I(n)O INTENTAT'AM' DELEVIT.

In eodem fornice currus triumphalis cui⁵⁰² fasces duodecim præcedunt, arca foederis, aureum candelabrum septem ramos continens, duæ præterea tabulæ ex marmore in quibus tota lex Mosæ scripta erat, vasa templi, aurea mensa reliquaque ex templo Salomonis in eo triumpho asportata, ad vivum sculpta videntur.

Transiens hunc arcum recta e fronte⁵⁰³ videtur amphitheatri moles a Vespasiano [99r] extracta, a Tito vero dicata. Coliseum vulgo vocant, ab ingenti colosso qui prope hunc locum esset ; fuit autem hujusmodi colossus Neronis, statua CXX pedum altitudine quam⁵⁰⁴ sibi ante domum erigendam⁵⁰⁵ curavit.

Post autem hujus immanis principis mortem, Soli dicatum accepimus. Deinde vero, ut superius est expositum, ipsius colossi, capite amputato, Commodus suum ipsius præposuit.

Habuit etenim eo in loco domum suam admirandam, quam auream vocavit, admirabilis illa quidem⁵⁰⁶ fuit, et quæ omnem fidem humanam superaret ; Suetonius enim est autor, maximæ urbis potius formam quam domus habere.

Ut vero huic furori⁵⁰⁷ satisfaceret, innumerabiles domos⁵⁰⁸ civium demolitus est, unde factum est epigramma :

Roma domus fuit (*sic pro* : fiet) Veios⁵⁰⁹ ingrata (*sic pro* : migrate) Quirites

Si non et Veios occupat ista domus.

Stagnum habuit maris instar circumseptum ædificiis ad urbium⁵¹⁰ speciem, rura insuper arvis atque vinetis⁵¹¹ et pascuis sylvisque varia cum multitudine, omnis generis pecudum ac ferarum, campos ad seminandum habuit vinetaque⁵¹² non modica, porticus trium ordinum fuere millia passuum longitudine. In cæteris partibus omnia auro lita, distincta gemmis. [99v]

Cænationes laqueatæ, tabulis eburneis versatilibus, ut flores ex fistulis et unguenta desuper spargerentur. Præcipua cænationum rotunda quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumagerentur, thermæ aquis dulcibus marinisque scaturiebant, plurima alia et incredibilia, quasi de ea domo autores narrant, quæ omnia ædificiorum quasi portenta, a reliquis Imperatoribus eversa sunt ; novaque superædificata fuisse constat. Atque eo quidem loco ubi hoc est amphitheatrum constructum ejus stagnum domus⁵¹³ fuerat. Hodie plus dimidio dirutum est, cum Veronense multo sit perfectius, scalæ præcipue omnes dejectæ :

502 B : cuis.

503 A : et fronte.

504 A : quem.

505 A : erigendum.

506 B : quidem illa.

507 B : furores.

508 B : domus.

509 A : Vicos.

510 B : urbis.

511 A : uvietis.

512 A : uvietaque.

513 B : ejus domus stagnum.

ejus enim saxis Romani in mœnibus reparandis, cum id a Theodorico Ostrogothorum Rege prius impetravissent usi sunt. Adeo vero sublime atque editum fuisse Plinius testatur, ut vix ad summitatem humanos oculos accedere posset ; LXXXVII. millia hominum spectantium capax erat ; marmore totum extrinsecus et intrinsecus incrustatum fuit, in fornicibus pulcherrimis status ornatum, et usque ad hanc ætatem imagines quædam ex gypso durant. Intra amphitheatrum et arcum Constantini qui proximus apparet, meta pervetusta [100r] ex lateritio constructa est, quam veteres Sudantem Metam appellavere, quoniam ex ea satis ampla aquæ copia manaret, ad eorum⁵¹⁴ sitem⁵¹⁵ restinguendam qui eo ad amphitheatrales ludos spectandos confluerent. Simulacrum Jovis æneum in ipsius vertice fuisse volunt.

Proxime huic loco ad Palatini radices extat arcus triumphalis pulcherrimus, Constantino magno erectus, postquam Maxentium tyrannum⁵¹⁶, ad pontem qui hodie “mollis” dicitur superaverat, minus corrupta sua ornamenta habet, quam reliqui triumphales fornices, trophæa adhuc et victorias alatas servans, quoniam vero quædam divinitus, quædam rudius sculpta videntur, quicquid excellentis esset, eo ex Trajani fornice translatum, reliqua Constantini tempore facta plerique existimant. In utroque frontispicio hæc leguntur :

IMP(eratori). CÆS(ari). FL(auio). CONSTANTINO MAXIMO. P(io). F(elici). AVGVSTO. S(enatus). P(opulus). Q(ue). R(omanus). QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITVDINE CVM EXERCITV. SVO TAM. DE TYRANNO. QVAM DE OMNI⁵¹⁷ EIVS FACTIONE VNO TEMPOR [100v] IVSTIS REMP(ublicam). VLTVS EST ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

In fronte vero quæ ad orientem vergit, a dextra legitur : VOTIS X. ; a sinistra : VOTIS. XX. ; in facie quæ est ad occidentem : SIC. X. ; a sinistra : SIC. XX.

In superiori fornicis parte nempe ex uno latere : LIBERATORI VRBIS ; ex alio : FVNDA TORI QVIETIS.

Transgresso hoc fornice, recta occurrit Septizonium Severi ; id autem sepulchrum fuisse tradunt quod ille in via Appia - ibi enim initium sumit - condidit.

A septem quasi zonis columnarum dictum putant quæ sibi invicem superædificatæ essent, hodie tres ordines ipsarum tantum videmus, quoniam vero mirabilis hujus ædificii altitudo, ut nunc extat videtur, cum tamen 4⁵¹⁸ ordines desint, fieri non potuisse multi existimant, ut et desiderantes ordines columnarum⁵¹⁹ superædificati essent.

Hoc quidem cum vetustissimum sit, semper ruinam minatur in hujus frontispicio, hæc sed imperfecta inscriptio [101r] habetur :

C. TRIB. VI. CO(n)S(ul). FORTVNACISSIMVS NOBILISSIMVSQ(ue).

514 B : earum.

515 AB : situm.

516 A : tirannum.

517 A : OMNIBVS.

518 B : quatuor.

519 B : columnarum *deest*.

Circumeundo radices Palatini occurrit longissimus ordo subselliorum Circi Maximi, qui totam eam planitiem intra Palatinum et Aventinum colles occupavit. CCCCL enim passibus⁵²⁰ longitudine, CXXV latitudine extendebatur, adeo autem capax erat ut⁵²¹ CCXL millia hominum in eo commodissime spectare possent. A variis Romanis mirifice ornatus fuit, maxime ab Augusto ; Claudius carceres ex marmore fecit lignisque inauravit (ornavit ?) nobilissimis columnis atque auro Heliogabalus ornavit pavimento ex chrysocolla facto⁵²² et in eodem circo⁵²³ inducta aqua Appia, ludos navales exercebant.

Habuit hic circus pulcherrimus duos obeliscos, quorum alter pedum CXXXII, alter XXXVIII longitudinem continebat, qui fractus in medio hortorum qui ibi apparent, terraque obrutus jacet. Plurima prope hunc circum et in eo templa fuere, Juventutis nempe Mercurii, Veneris, Cereris, Solis, Liberi, Liberæ, Proserpinæ, Floræ, Neptuni eo in loco ubi hodie est Anastasiæ Divæ fanum ad Palatini radices, ubi quædam cella reperta est. Variis conchyliis⁵²⁴ [101v] marinis ornata, in superiori parte aquila⁵²⁵ candida cum rubea crista conspiciebatur.

Postquam autem ad hanc planitiem pervenimus, antequam ulterius progrediamur et eam quæ superest forum nempe Boarium, Olitorium, et radices Capitolii versus Tyberim tractabimus.

In exitu Circi Maximi occurrit aqua Scabra, unde non longe a schola Græca⁵²⁶ fuit Herculis Victoris templum ; in hoc neque muscæ neque canes ingrediebantur, hujus rei rationem adfert Solinus, a Sixto IIII solo æquatum⁵²⁷ fuit, in cujus ruinis statua ænea inventa est, de qua superius in Capitolio dictum, et tabula cum hac inscriptione :

DEO HERCVLO INVICTO, C(aius). IVL(ius)⁵²⁸ POMPONIVS PVDENS SEVERIANVS V(ir). C(larissimus). PRÆF(ectus). VRBIS.

Fuit et prope Pudicitiae Patritiae fanum, versus Tyberim antiquissimum rotundum visitur templum Divo Stephano dicatum, columnis XVIII sustentatur ; aliqui putarunt id Herculis fuisse, sed Vestæ potius templum doctiores existimant.

Ad Divæ Mariæ pontem qui proximus est, conspicitur templum Divæ Mariæ Ægyptiacæ⁵²⁹, Fortunæ Virilis fanum fuisse dicitur. Alii Caii et Lucii basilicam autumnant.⁵³⁰ Veteri est structura ex lapide Tyburtino, vetustate [102r] jam pene collabens, quadratæ et angustæ formæ opere Corynthio ; e regione lateritia conspicitur domus quæ vulgus Pilati ædem fuisse narrat.⁵³¹

520 B : passibus.

521 B : CXXV latitudine extendebatur adeo autem capax erat, ut *desunt*.

522 A : facta.

523 B : circo.

524 AB : conciliis.

525 AB : aquilæ.

526 B : non longe schola Græca.

527 B : equatum.

528 AB : TVL(ius).

529 A : Aegitiacæ.

530 A : autumnant.

531 B : narrat.

In eodem foro pervetustum templum ex marmore sed magna ex parte dirutum multisque ornamentis spoliatum conspicitur. Quatuor habet facies quadratæ instar porticus, sed nullas portas nec ullam habitationem continet⁵³², *Logiam*⁵³³ hodie appellant, Jani Quadrifrontis templum fuisse putatur, quod veteres in foro Boario condidere. Hujus autem quatuor facies quatuor anni partes significabant, 12⁵³⁴ vero cellulæ quæ in singulis faciebus visuntur, menses anni denotant.

Supra hoc templo fuit Velabrum, ubi hodierno adhuc die Divus Andreas cognomento in Velabro colitur ; juxta hoc fanum antiquissimus fornix stat, Septimio Imperatori ac Marco Aurelio ab argentariis ac negotiatoribus illius loci erectus dicitur ; in eo autem incisa sunt sacrificia⁵³⁵ boum quæ ibi fierent ; longissimam habet inscriptionem.

Prope eum⁵³⁶ fuit Scipionis Africani⁵³⁷ domus.

Progrediendo directa via ex foro Boario septentrionem versus, ad ripam fuit forum Piscarium, ubi et hodie hac ætate pars theatri Marcelli stare conspicitur, reliquo igni ac vetustate [102v] consumpto, in ipsius ruinis Savellorum⁵³⁸ familiæ palatium extractum est ; LXXX hominum milia ex hoc theatro ludos spectare commode poterant.

Hic Plinius videtur existimare templum Pietatis fuisse extractum in loco carceris, in quo humilis ex plebe patrem condemnatum lactavit, quam pietatem Romani admirati templum eo in loco Pietati erexere ; fuerunt enim eo in loco carceres quidam cujus vestigia adhuc visuntur prope Divum Nicolaum cognomento in Carcere. Intra theatrum Marcelli et Capitolium ibi ferme ubi nunc forum est quod Montanarum vocitant, fuit olim forum Olitorium ; fuerunt et ibidem quædam templa Jani⁵³⁹ Bifrontis, quod belli tempore clausum tenebatur, pacis vero apertum, Matutæ fanum, Carmentæ, Veneris, Apollinis⁵⁴⁰ et Musarum ; prope hunc locum hodie pisces vendunt ; hinc recta progrediendo per viam quam Judæi inhabitant, occurrit campus Floræ, sed de his nunc satis deque hac planitie. Nunc Palatinum⁵⁴¹ montem quem emisimus, aggrediamur.

Palatinus collis omnibus ædificiis consumptis excepto fano Divi Nicolai, ad priscam solitudinem redactus videtur ; nam quemadmodum antea ab ovium, quæ ibi pascerent balatu, nomen balatini, quasi palatini accepit ; [103r] ita hoc tempore, nihil nisi incultum atque agreste omnino videas. Cum vero respublica floreret Regum atque Imperatorum ut ex ipsius ruinis perspici potest, domicilium fuit. Unde amplissima quæque principum ædes palatia dici cœpere. Aruspices ferunt, tunc Romani imperii futuram finem, cum Palatinus non coleretur. Palatium illud quod Regum temporibus fuit, tantum modicam⁵⁴² partem ipsius occupabat, a quo vero fuerit auctum, obscurum est. Hujus Palatii fores juxta⁵⁴³ Jovis

532 B : continet *deest*.

533 B : Logium.

534 B : duodecim.

535 A : sacrificia.

536 B : eam.

537 B : Affricani.

538 A : sacellorum.

539 B : Jani *deest*.

540 A : Apollonis.

541 AB : Palatium.

542 B : modicam tantum.

543 A : vix.

Statoris templum fuere, Faustinae fano oppositae, ea autem pars quae contra Capitolium est, cum majorem partem Palatii occuparet, minus frequens privatorum habitationibus atque aedificiis fuisse memoratur, cujus adhuc ingentes ruinae in vinea ut dicunt seu hortis amoenissimis Octavii Farnesii ducis Parmensis, visuntur. In ea parte collis, versus arcum Titi fuit domus Ciceronis. Locus vero quem Veliam dixere, ad eam partem vergit quae est intra Titi fornicem ac Coliseum⁵⁴⁴, fuit Victoriae templum Deorum Penacium, Orci locus vero Palatii ibi fuisse dicitur ubi hodie fanum est Divi Andreae in Pallara, quasi in ipsius collis angulo, ejus autem ingentes ruinae admirationis causam adferunt.

Eo autem latere Palatini quod ad Circum Maximum spectat, domum Augustus [103v] habuit, juxta⁵⁴⁵ hanc pulcherrimum Apollini templum aedificavit, cujus etiam nunc vestigia extant. In eo poetae sua scripta ut quaeque probatissima fuissent reponere soliti sunt. Superiori loco Solis currum habuit aureum, quare late, tanquam radiis Solis, templum splendebat.

Habuit et ibi bibliothecam pulcherrimis ornatam statuis, maxime ibi fuit colossus Apollinis ex aere, 50⁵⁴⁶ pedum altitudine, 4⁵⁴⁷ vaccae aeneae admiranda arte fictae et caetera⁵⁴⁸ bibliothecae ejus vestigia inter rupias⁵⁴⁹ adhuc visuntur sed cum hodie tot ingentesque ruinae per Palatinum videantur, magni esset laboris singula quaeque, quid et ubi fuerint, perquirere ; sufficiat itaque de Palatino dixisse, atque progrediamur ad collem objectum, Aventinum nomine.

Habet vallem illam intermediam ubi Circum Maximum fuisse diximus, Aventini montis circuitus ad duo millia passus continet. Longior quam latior est, ab aliis collibus omnino disjungitur, cujus major pars Tyberi imminet ; via quae a foro Boario in montem ducit, clivus olim dicebatur sursumque ad Junonis Reginae templum recta ibatur ; ad hunc ipsum clivum Gemoniae scalae fuerunt, ad quas corpora damnatorum tracta, rapi ac praecipitari solebant ; quo loco Divae Sabinae templum flumini imminet, fuit olim Dianae templum. [104r]

Est templum pulchrum incrustationibus porphireticis variisque marmorum ornamentis ornatum opereque musivo ; in medio ecclesiae duae columnulae visuntur antiquissimae in quibus non contemnenda arte trophaea variaque antiquorum arma sculpta sunt. Progrediendo occurrit⁵⁵⁰ Sancti Alexii templum, quod olim Herculis fuit ; fuit ut dicunt Alexius Romanus qui in domo paterna diu ignotus sub quibusdam ligneis gradibus latitavit ; gradus illi in ecclesia erecti ostenduntur. Inde Divae Mariae Aventinae templum (quod dicitur) Bonae Deae fuisse, cui tantum foeminae sacrificabant, nec viris hujus sacris interesse licebat, quare Cicero Clodio objicit⁵⁵¹ illius sacra ab eo unctu⁵⁵² polluta.

Prope vel sub hoc templo fuit Caci spelunca in quam Herculis boves aversos⁵⁵³ caudis traxerat.

544 AB : Colisseum.

545 A : vix.

546 B : quinquaginta.

547 B : quatuor.

548 B : ex.

549 B : inter ruinas.

550 B : occurrit *deest*.

551 A : abjicit.

552 B : noctu.

553 A : avercos.

Ex altero montis latere quod Circum Maximum respicit⁵⁵⁴, ubi Divæ Priscæ est fanum, fuere Decii Imperatoris thermæ ; fuerunt et ibi Varianæ thermæ et armilustrum⁵⁵⁵ ; thermarum Decii ruinæ adhuc visuntur. In descensu hujus montis prope templum Divæ Mariæ Aventinæ qui maxime præceps est, extenditur planities ad portam usque Sancti Pauli. In proximis vineis juxta Tyberim visuntur adhuc ruinæ horreorum Romanorum, quorum in illa planitie CXL fuere. [104v]

Prope extat et mons Testaceus ex vasorum ruptorum testis, quas⁵⁵⁶ eum in locum figuli congebant, ita⁵⁵⁷ crevit, ut mirabiliter montis fere formam acceperit ; figulorum etenim officinæ ibi olim fuere prope Tyberim, quoniam vero si in flumen vasorum fragmenta, ac reliquas sordes ejus artificii iniecissent, futurum fuisset ut aliquando alveum fluminis opplevissent ; Senatus vetuit ne quicquam ex illis in flumen demitterent, atque idcirco locus Testaceus his assignatus dicitur, ideoque ex earum rerum congerie collis est effectus.

Prope portam Divi Pauli in ipsis mœnibus urbis conspicitur pulcherrima pyramis integra fere ex marmoreis quadratis lapidibus confecta. Ut vero ex literis conjici potest, sepulchrum Caii Cestii septemviri epulonum fuit ; hæc autem leguntur :

C(aius). CESTIVS. L(ucii). F(ilius). POB(licia tribu). EPVLO. PR(ætor). TR(ibunus). PL(ebis). VII.⁵⁵⁸ VIR. EPVLONVM.

Inferius vero minutioribus literis incisum :

Opus absolutum ex testamento dieb(us) CCCXXX. arbitrato Pont(ificis) P.F. clamelæ hæredis et Pont : L.

Porta Sancti Pauli olim dicebatur Trigemina, ideo quod per eam cum tribus Curatiis⁵⁵⁹ tres Horatii egressi sunt. Verum tunc non eo erat loco ubi hodie conspicitur, antea enim fuit ad Tyberim Aventinique radices, juxta scolam Græcorum, quia Aventinus non in urbe erat, nunc [105r] Divi Pauli nomine ab ipsius templo nuncupatur. Quæ vero ab hac⁵⁶⁰ initium sumit via Hostiensis⁵⁶¹ quod Hostiam ducit, dixere.

In hac via milliario⁵⁶² paulo plus ferme ab urbe nobilissimum Divi Pauli templum sese offert, a Constantino erectum, atque plurimis ornamentis marmoreis illustratum, adeo pulchro ordine columnarum marmorearum constructum, quod nullum mihi magis Romæ accideat templum si tanquam alia coleretur.

Hinc ad 1000⁵⁶³ passus cœnobium præsto est, a tribus fontibus nomen retinens ; hic enim a Divi Pauli cervice caput divisum, cum ter insilisset, tres repente fontes scaturiisse

554 B : spectat.

555 AB : armilustrum.

556 A : quasi.

557 B : illa.

558 B : VIII.

559 B : Curatiis.

560 B : ab hoc.

561 AB : Hostiensem.

562 B : millaria.

563 B : mille.

affirmant, ex quorum fontium aqua cum ad potum aptissima sic egomet ad bibendum sumpsi.

Sed nunc redeundum eadem via ad urbem, a dextris portæ Sancti Pauli, ad radices Aventini, quasi humiliter extensa⁵⁶⁴ est ecclesia Sanctæ Balbinæ, thermis Antoninianis⁵⁶⁵ proxima. Vulgus “Antignanum” locum appellat tanquam Antoninianum. Visuntur ibi ingentes muri latissimi et simul maximæ columnæ, præterea admirabiles ruinæ thermarum Antonini Caracallæ⁵⁶⁶, quæ nobilissimæ traduntur fuisse.

Inter hunc locum et Sancti Sixti monasterium occurrit via Appia, quæ recta ducit ad portam Sancti Sebastiani [105v] sic dicta a templo ejusdem nominis in eadem via Appia, ad secundum lapidem ab urbe, olim Capena dicebatur ; plurima extra hanc olim templa et sepulchra fuere. Fuit et Camænarum lucus, Tempestatis templum, Apollinis⁵⁶⁷, Honoris, Spei, sepulchra variorum Romanorum. Idque Marcus Tullius innuit :

an tu (inquit) egressus porta Capena cum Collatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum⁵⁶⁸ sepulchra vides, miseros putas illos ?

Plurimæ undique ruinæ et vestigia illorum adhuc hodie visuntur.⁵⁶⁹ Sed cum in illis neque ullum ornamentum neque ulla inscriptio integre duret, difficile sit qualia fuerint cognoscere necesse est.

Mille passibus ab urbe est sacellum cui vulgo *Domine quo vadis* nomen inditum est, quod ea ratione nomen sortitum est. Narrant etenim, quod cum Divus Petrus ab Imperatoris indignatione sese subducens Roma profugeret, eodem in loco Christum obviam habuerit, cui dixerit : “Domine quo vadis ?” eique illum respondisse : “Romam iterum crucifigi” ; in cuius rei memoriam, eo loco fanum erectum esse aiunt.

Hinc 1000⁵⁷⁰ passibus adhuc a dextra viæ Appiæ surgit Divi Sebastiani templum ubi est Calisti cæmeterium⁵⁷¹, locis subterraneis manuum opera factis, multorum martyrum sepulturam habens, et sacella ubi privatim [106r] et occultæ a Christianis sacrificia fierent, quæ publice olim Imperatorum metu celebrari non poterant.

Non procul ab hujus modi templo, ingentes ædificiorum ruinæ conspiciuntur ; aiunt ibi domicilia prætoriana Tyberi⁵⁷² Cæsaris fuisse militum ; inter has ruinas⁵⁷³ videtur circi forma pulcherrima omnium qui Romæ sunt, magis integra⁵⁷⁴ ; quanquam sedilia⁵⁷⁵ omnia collapsa sint, forma tamen ejus optimæ compræhendi potest ; in medio apparent adhuc

564 A : extensas ; B : extensus.

565 B : Antoninis.

566 A : Corocallae ; B : Coracallae.

567 A : Apollonis.

568 AB : Metallorum.

569 B : adhuc visuntur hodie.

570 B : mille.

571 B : coemitarium.

572 A : Tyberis.

573 B : ruinas *deest*.

574 AB : integro.

575 B : sedalia.

metarum signa et obeliscus in plurimas partes diffractus, in quo notæ ægyptiacæ⁵⁷⁶ seu literæ hieroglyphicæ sculptæ videntur.

Parvo hinc intervallo extat ex Tyburtino lapide sphærica forma extracta moles, crassissima atque ingentis turris sive apicis⁵⁷⁷ similitudine, cognomento nunc Caput Bovis, quod illic undique bubulorum capitum simulacra lapide celata videntur.

Quod sepulchrum Metellæ uxoris Crassi fuisse brevis illic inscriptio ostendit :

CÆCILLÆ Q(uinti). CRETICI. F(iliæ). METELLÆ. CRASSI.⁵⁷⁸

Revertendo in urbem, a dextris portæ Sancti Sebastiani est Cælius collis, ad cujus radices in via Appia occurrit monasterium Sancti Sexti, inde Sancta Maria in Navicella, sic dicta a nave marmorea quæ ante fores templi visitur. Prope hoc pulcherrimum Fauni templum [106v] rotundum conspicitur nobilissimum templorum Romæ fuit marmoreis columnis ornatum parietesque tabulis marmoreis pulcherrime tectos habens, insuper elegantissimis museatis operibus distinctum. Verum cum pene dirutum vetustate esset, Nicolaus V templi amplitudinem in angustiorem formam redegit, sicut hodie videmus, Divoque Stephano protomartyri⁵⁷⁹ dicatum est.

Extat prope templum aquæductus aquæ Claudiæ, qui aquæductus inter sumptuosa atque insane⁵⁸⁰ antiqua opera jure recenseri possunt. Frontinus ait⁵⁸¹ aquæductum magnitudinem quibus aquæ inducebantur omnia urbis⁵⁸² atque Romæ etiam ipsius miracula superasse.

Ad meridiem hujus loci est Cælius collis in quo est porta Latina, olim et Ferentina dicebatur ; ab hac initium sumit Latina via⁵⁸³. Prope hanc portam fanum est Divi Joannis Apostoli ; quo in loco jussu Domitiani Imperatoris in ferventis olei dolium illum demersum incolumem evasisse tradunt ; olim Dianæ hoc templum dicatum fuisse existimant. Sed revertamur unde⁵⁸⁴ digressi ad templum Fauni. In inferiore parte Cælii montis occurrit Sancti Thomæ hospitale ; is locus aliquando⁵⁸⁵ fuit quem redimendis captivis ex infidelium vinculis assignarunt.

In hujus collis parte fuere olim Albanæ mansiones. Inde sequitur Divi Gregorii cœnobium, quod [107r] ex suis ipsius domibus factum, Divo Andreæ dicavit. Superiori in loco templum Divorum Joanni ac Paulo in fundamentis Curie Hostiliæ extractum, in cujus aliquando superbissimo palatio Romani Pontifices habitarunt. In montis supercilio ea collis parte quæ Exquiliis opponitur, Sanctorum Quatuor Coronatorum⁵⁸⁶ templum conspicitur ; fuerunt ibi olim castra peregrina. Augustus enim ad Italiam tutandam duas classes maximas

576 A : ægyptiacæ.

577 AB : apice.

578 AB : CRASSAE.

579 A : prothomartiri ; B : prothomartyri.

580 B : insana.

581 A : aiunt.

582 B : orbis.

583 B : via Latina.

584 B : inde.

585 B : is aliquando locus.

586 B : coronatorium.

comparavit, eas autem provinciatim distribuit, alteram enim Miseni, alteram Ravennæ, ad tutelam superi atque inferi maris collocavit.

Exercitum classis Ravennæ ibi hybernis atque æstivis Janiculi, ut superius demonstratum, esse voluit, Miseni in Cælio monte in iis quidem hospitiiis quæ ipse peregrina appellavit. Sub ipsum locum fanum Divi Clementis erectum est ; hinc per radices montis eundo in Lateranum occurrit insignis ille aquæductus aquæ Claudiæ. Scribit Plinius aquæ Claudiæ opus omnium reliquorum aquæductuum⁵⁸⁷ longissimo intervallo superasse. Hunc enim ait omnes Romanos colles altitudine excedere, atque in id opus sestertium ter millies expendisse, cujus cum rationem putaret Budæus auri, ut vulgo loquimur, milionem⁵⁸⁸ ac CCC.LXXXV millia et D. coronatos efficere monuit.

Hanc aquam Claudius⁵⁸⁹ a quadragesimo ab urbe lapide induxit. X vero [107v] millia passuum continebat longitudine ; is aquæductus reliqua aqua subterraneo alveo ducebatur. Transgresso itaque arcu hujus aquæductus statim occurrit celeberrimum xenodochium Lateranense, hospitale Sancti Salvatoris dictum. Lateranorum vero domus nobilissima ibi quondam dicitur fuisse ubi nunc est Divi Joannis in Laterano pulcherrimum templum a Constantino Magno constructum, perpulchro quaterno columnarum ordine ; supra altare majus in marmoreo tabernaculo asservantur capita Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli plurimæque aliæ, ut narrant, reliquiæ.

Ante altare quatuor ex ære columnæ ingentes pari forma et structura conspicuæ quæ olim in Capitolio fuere, ab Augusto ex rostris navium Ægypti devictarum conflatæ ; vulgus superstitiosus⁵⁹⁰ ex Salomonis⁵⁹¹ templo allatas narrat.

Tabula ænea perantiqua bene longam inscriptionem quorundam decretorum ejus temporis continens muro inserta visitur. Subtus ea sepultus est doctissimus vir Laurentius Valla cum hoc epitaphio :

LAVRENTIO VALLÆ, HARVM ÆDIV(m) sacrarum canonico, Alphonsi Regis. et Pontificis Maximi secretario apostolicoque scriptori. qui sua [108r] ætate omnes⁵⁹² eloquentia superavit. Catherina mater filio pientiss(imo) posuit. Vixit ann(os) L. Obiit anno Domini M. CCCC. LXV. Calendis Augusti.

In templi medio extat sepulchrum⁵⁹³ cum æneo simulachro Martini Vex Columnensium⁵⁹⁴ familia. Extant et in eadem basilica quædam de triumpho Titi quæ prius erant in templo Pacis, ut superius dictum : arca fœderis, verum et vetustate et a vermibus pene consumpta est enim lignea virga Aaron, et lignea mensa quadratæ formæ supra quam⁵⁹⁵ Christus cum discipulis cænitasse dicitur, antequam crucis subiret patibulum.

587 B : aquaeductum.

588 B : milionem.

589 B : Claudius *deest*.

590 B : superstitiosas.

591 B : Solomonis.

592 A : omneis.

593 A : perpulchrum.

594 A : Colummensium.

595 A : supra Christus.

Habet ipsa basilica appendices ubi adhuc extat baptisterica forma, porphireticis pulcherrimis columnis undique septum ubi circumquaque argenteos cervos, aquam labro infudisse tradunt, et in medio lavacro columna, ubi lucerna certo tempore balsamo ardebat. Sunt et in eo 3 oratoria seu sacella, unum Sancti Joannis Baptistæ satis exiguum cum æreis foribus ubi Constantini Imperatoris cubiculum fuisse tradunt, quod mulieres ex edicto hodierno adhuc die non ingrediuntur.

Ab altero basilicæ latere, ubi adhuc basis equi⁵⁹⁶ ænei quem Paulus III, ut superius dictum, in Capitolium transtulit, marmorea visitur, marmorei gradus numero 28, extant, per quos Christus ad Pilatum ascendisse dicitur⁵⁹⁷ [108v] quos ascendere pedibus religio est. Sunt etenim alii ad descensum⁵⁹⁸ prope extracti; occurrit itaque porticus flexuosa a qua itur ad Sancta Sanctorum, locum a Romanis ob sanctimoniam maximæ⁵⁹⁹ venerationis.

Duæ porphireticæ sedes ubi novus Pontifex atrectatur ab ultimo diacono, si testes habeat. Paulo ulterius columnula quæ staturæ Christi mensuram demonstrat, et prope lapis super quo numerati dicuntur XXX argentei quibus venundatus est Juda.

Sed et has nænias aliquando immiscere volui ne quid novarum rerum maxime a vulgo petita omitterem. In descensu ad dextram hujus templi occurrit porta nunc Divi Joannis dicta, ab hoc templo vicino, olim Cælimontana dicebatur a montis Cælii vicinitate. Via quæ ab hac porta initium sumit Campana dicitur, quia in Campaniam et Neapolim⁶⁰⁰ ducat.

Progrediendo itaque a Divo Joanne Laterano recta ortum versus, occurrit ad muros ipsos urbis amphitheatrum Statilii Tauri lateritio opere extractum, juxta templum Sanctæ Crucis in Hierusalem, parvum quidem ipsum ac semidirutum, quod suasu Augusti construxit, inclusum nunc intra cœnobium fratrum Sanctæ Crucis, cujus basilicam magnam⁶⁰¹ Constantinus Magnus excitavit, in atrio Sessoriano, unde etiam basilica Sessoriana dicitur, marmoreis ornamentis [109r] et pictis laquearibus satis conspicua; sub altari majore visitur antiquum labrum ex pulcherrimo lapide Lydio.⁶⁰² Habet et plurimas reliquias, frustum ligni crucis ipsiusque titulum, unum ex denariis argenteis quo Judas Dominum vendens ipsum prodidit. A sinistra hujus templi⁶⁰³ in proximis hortis visuntur maximæ ruinæ templi Veneris atque Cupidinis.

Extendit se huc usque Exquilinus mons, seu Exquilæ. Omnes reliquos montes laxitate atque altitudine superant, atque in diversa prospiciunt, quippe quæ in plures partes sint divisæ. At ædificia urbis, quæ in vallibus condita sunt, tum ruinæ id efficiunt, ut colles nonnulli vix inter se discerni certique fines assignari queant.

Progrediendo itaque hinc prope mœnia urbis occurrit porta Major⁶⁰⁴ seu Sanctæ Crucis, olim porta Nævia dicta, quidam supra triumphali forma structam volunt. Duæ tunc viæ Labicana scilicet Tyburtina oriuntur. A dextra hujus portæ aquæductus aquæ Claudie

596 B: aequi.

597 B: videtur.

598 AB: ascensum.

599 B: maxime.

600 B: Neapolin.

601 A: basilicam Constantinus.

602 B: Lydeo.

603 B: templi hujus.

604 B: Major porta.

urbem intrat. Intra hanc portam et portam Sancti Laurentii, arcus est antiquissimus rotunda forma fere totus integer, ubi nobilissimam basilicam Augustus extruxit et superbissimam porticum Caii ac Lucii nepotum nomine, quare hodie “Gallucci” thermas, hunc ipsum locum depravate, quasi Caii ac [109v] Lucii vulgo nominant. Thermas vero⁶⁰⁵ ita vocant, vel quod omnia ingentia ædificia thermas vulgus appellat, vel quod re vera duæ essent thermæ, non admodum, ut erat mos, magnificæ. Porta Sancti Laurentii in arcus formam ædificata, Taurina olim dicebatur a capite tauri quod in utroque interioris fornicis frontispicio cælatum adhuc cernitur et Tyburtina dicta, quia Tybur ducat.

Intravit aquæductus Martiæ per hanc portam, ut in interiore fornice extant pedales literæ, in utroque frontispicio cum inscriptione trium Imperatorum Augusti, Antonini Pii et Titi. In cujus exitu ad primum ferme lapidem occurrit basilica Sancti Laurentii extra muros in agro Verannio a Constantino Magno condita, marmoreis ornamentis interius tota decorata, laqueatis auratisque tectis satis conspicua. Sub majori altari cineres duorum præcipuorum martyrum Stephani et Laurentii, marmoreo monumento ferreis clatris undique munito asservantur.

Prope suggestum in medio ecclesiæ conspicitur tabula marmorea in qua antiquorum sacerdotum ancilia, secures, cultri omniaque ad sacrificandum instrumenta commoda, sculpta pulchra arte visuntur.

Redeundo ad portam Sancti Laurentii, ad dextram occurrunt ruinæ aquæductus aquæ Martiæ, inde Sancti Eusebii [110r] templum versus septentrionem fuere ager (sic pro : agger) Tarquinii Superbi. Extant et prope Divi Eusebii templum ruinæ thermarum Gordiani Imperatoris et palatii sui magnifici quod ducentas nobilissimas⁶⁰⁶ ex uno latere habuit columnas.

Non longe hinc fuit⁶⁰⁷ et arcus ejusdem Imperatoris pulcherrimis trophæis variisque ornamentis marmoreis instructus, hujus marmora altius e terra defossa cardinalis Sancti Georgii jussu ad palatium templumque Divi Laurentii in Damaso ornandum summota sunt.

Non longe a Sancto Eusebio ultra viam Tyburtinam ad Divi Juliani templum, Caii Marii trophæa quæ hodie “Cimbri” vocant, sese offerunt. Dicta autem sunt a Cimbris populis quibus devictis Marius trophæum illi erectum est. Corrupta jam sunt ac labefactata, in trunco tamen marmoreo ingentis magnitudinis (duo enim sunt) thorax cum suis ornamentis est. Præterea adolescentis barbari captivi, manibus post terga vincitis, effigies conspicitur.

In altero clypei aliaque ad pugnandum accommodata. Suetonius scribit, a Sylla Marii trophæa deturbata disjectaque⁶⁰⁸ ob inimicitias posteaque a Cæsare dictatore reposita, in suoque loco pristino erecta ubi adhuc hodie conspiciuntur. [110v]

Ad hæc trophea visuntur aquæductus aquæ Martiæ, ubi et castrum aquarum est. Omnis autem ea Exquiliarum pars quæ a trophæis incipiens Sanctum Joannem Lateranum spectat, pro Mariana “Merulana” vulgo hodie nominatur, veteres Tabernulæ regionem dixere, is locus hoc tempore vineas tantum atque arundineta quod totus in plano sit habet. In supercilio quod templo Divi Mathei in Merula imminet, Philippi Imperatoris thermas fuisse volunt et adhuc quoddam vestigium extare.

605 B : vero *deest*.

606 B : et palatii sui magnifici quod ducentas nobilissimas *desunt*.

607 B : fuit hinc.

608 B : ac disjecta.

Inde juxta Divum Martinum in Montibus fuere thermæ Trajani.

Non longe a Sancto Petro in Vinculis, maxima nunc vestigia thermarum Titi Imperatoris extant.

Visitur ibi prope castellum aquarum quod Septem Salas vocant, ne a vulgari vocabulo decedam, novem tamen sunt instarque cisternarum in subterraneo loco ingens testudinaria moles, permagno columnarum numero fulta castra seu conserva aquarum ad thermarum usum quæ semper proximæ erant dicebantur. Ibiq̄ue pulcherrimum palatium Titus habuit. Inventus est hoc in loco Laocoon ille quem Plinius in palatio Titi fuisse scribit, qui nunc est in hortis Vaticanis, opus ut ille narrat omnibus et picturæ et statuariæ artis præferendum.

In harum thermarum [IIR] ruinis conspicitur templum cum monasterio Divi Petri in Vinculis, quod Julius II Pontifex mirifice ornavit. Videtur in eo ejusdem Pontificis⁶⁰⁹ monumentum marmoreum admirando sumptu, pulchritudine et artificio exstructum, divina manu Michælis Angeli statuarii sculptum, in quo Moysis prophetæ statua mira arte et labore fabrefacta. Sepultus est et eodem in templo Jacobus Sadoletus, monumento tumulario, cujus effigies ad vivum delineata ibi cernitur.

Occurrit deinde versus Divi Viti arcum eundo Divæ Praxedis templum. Sacellum habet in quam foeminis ingredi nefas est. In eo columna servatur, ad quam vinctum cæsumque verberibus Christum⁶¹⁰ narrant.

Eundo recta per viam Tyburtinam adest arcus Gallieni⁶¹¹ Imperatoris, simplex et sine ullo ornamento ex Tyburtino lapide, sed negant triumphalem fuisse propter inscriptionem quæ⁶¹² hæc est :

GALIENO CLEMENTISS(imo) PRINCIPI CIVVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE SVPERATA.
EST. M(arcus). AVRELIVS VICTOR DEDICATISS(imus) NVMINI MAIESTATI(ue) EIVS.

Hodie Sancti Viti arcum vulgo ob ejus templum vicinum vocant. In eo multa martyrum corpora sunt, eo enim in loco necati dicuntur supra lapidem [IIV] qui in medio fani clatris ferreis undique septus visitur.

Proxime huic loco est Divi Antonii fanum. Inde occurrit permagnificum et sumptuosum Divæ Mariæ Majoris⁶¹³ templum, cujus basilicæ eum in locum ædificatæ causam et historiam narrant mirandam.

Ea est hodie omnium pulcherrima, nobilissimis columnis conspicua, diversitate marmorum insignis, pavimento incrustatione et musivo opere, a fronte et a tergo tam interius quam exterius insignita laqueatisque tectis auro illitis, ac pictura ab Alexandro VI nuperrime satis exornata. In introitu ecclesiæ sepultus est porphiretico monumento Joannes Patritius qui divino monitu, ut narrant, hoc templum extruxit. Latet sub principi altari corpus Sancti Matthæi Apostoli. Ante sacellum ad præsepe ossa Divi Hierronymi requiescunt, narrant et ibidem de fœno esse et materiis illius præsepis ubi Christus natus est in Bethlehem, quod

609 B : mirifice ornavit. Videtur in eo ejusdem Pontificis *desunt*.

610 B : Christum *deest*.

611 AB : Gallieni.

612 B : quæ *deest*.

613 A : D(ivæ) Majoris.

edicto interposito mulieres non ingrediuntur. Sed quis finem invenerit qui diligens harum rerum inquisitor esse voluerit.

In hac Exquiliarum parte templum et lucum Junonis Lucinae fuisse volunt. Sub hoc loco versus Viminalem collem et thermas Diocletiani, fuit turris Mæcenatis in excelsiori Exquiliarum loco, in qua⁶¹⁴ quod ex ea [112r] totam civitatem late spectaret, lætus Nero stetit, histrionis habitu, urbis incendium⁶¹⁵ spectans. Inter hunc locum autem et urbis mœnia, area est quam vocant Exquilinam, ubi mortuos sepelire mos fuit nostrarque tempestate plurima hic marmorea sepulchra et urnæ effossa sunt ; hunc campum Augustus, cum pudore et fœtore civitatem repleret, Mæcenati dono dedit, in quo⁶¹⁶ nobilissimos hortos instituit, juxta quos domum Virgilius habuit.

Sed ad Viminalem properemus, atque primum de thermis Diocletianis quæ omnium maximæ sunt, tametsi majori ex parte ruinis oppressæ jaceant, ex arcubus tamen atque ex columnis ingentibus operis magnitudo facile compræhendi potest.

Principio enim tenue thermis initium fuit, quippe quæ balnea tantum ad corporis salubritatem habuere, mox tam⁶¹⁷ magnis impensis fieri cœptæ sunt.

Principum⁶¹⁸ luxuria, ut sub thermarum nomine immania ædificia et, ut Marcellinus ait, instar provinciarum habentia, fierent porticibus spaciosissimis factis totque columnis atque ornamentis, infinito numero statuarum ut spectantibus stuporem inducerent, accedit quod in illis etiam nemora lucosque adhibebant, natatoria atque hujus modi inania.

Quemadmodum vero in thermis Titi, quædam subterranea [112v] loca, veluti cisternæ, quas thermarum dolia appellant visuntur, atque ut etiam est dictum, castellum erat quo ad varios lavandi usus aquam in balneis distribuebant, mirabilis profecto structuræ⁶¹⁹ opus.

In vineis quæ mediæ sunt inter thermas et collem Quirinalem, Diocletiani palatium fuisse creditur, quo loco ingentium columnarum bases sunt defossæ. Cella præterea nuperrime reperta est, marinis conchilibus mirifice ornata. Post has thermas et aggeres Tarquinii usque ad mœnia est campus Viminalis, quæ omnia arbustis vineisque referta sunt.

Fuit olim ibi vivarium ubi multa animalia clausa veteres habuerunt, extant⁶²⁰ adhuc hodie nonnullæ cavernæ prope mœnia manufactæ, ferarum antris ac lustris persimiles.

Ad meridiem thermarum situm est templum Divæ Pudentianæ in Thermis Novatianis extractum, in quo adhuc pavimenta vetustissima et fumosa conspiciuntur.

Inter hoc ac Divi Laurentii templum cognomento in Palisperna (*sic*), Olympiadis thermas fuisse volunt. Sunt eo ambitu multa circumquaque antiquitatum ruinosa vestigia.

Ad radices Viminalis extat templum Divæ Agathæ cognomento sub Viminali in quo Lascaris Græcus sepultus, [113r] hoc epitaphio tumulus ornatur :

Λάσκαρις ἀλλοδαπῆ γαίῃ ἐνὶ κάτθετο, γαίην / οὔτι λίην ξείνην, ᾧ ξένη, μεμφόμενος / εὔρετο μειλίχην, ἀλλ' ἄχθεται εἴπερ Ἀχαιοῖς / οὐδ' ἔτι χοῦν χεύει πατρὶς ἐλευθέριον.

614 B : in quo.

615 B : habitu, incendium spectans.

616 AB : in qua.

617 B : tum.

618 B : Principium.

619 B : staturæ.

620 B : extant et.

Via intra Viminalem et Quirinalem Numentana dicta, recta ducit ad portam Viminalem hodie Divæ Agnetis dictam, a templo ejusdem Divæ quod 2000⁶²¹ passibus ab urbe distat, multis gradibus in id descenditur marmoribus ; eleganter instructum atque ornatum conspicitur, maxime autem porphireticis tabulis et serpentine marmoris pene totum incrustatum ; prope vetustissimum Bachi templum extat, sphærica figura constructum, binis per ordinem columnis quibus fornix sustinetur, circumquaque dispositis, hic⁶²² omnia Bachi gesta in marmore expressa, antiquitate tamen semiconsumpta videntur. Sepulchrum ex porphirite uvas vitesque⁶²³ habens visitur.

Bachi vulgus sepulturam appellat ; verum aliqui putant Divam Constantiam Magni Constantini filiam, cui et hoc templum postea dicatum est, hoc monumento conditam esse.

Sed ad urbem revertamur et montem Quirinalem agrediamur ; diximus ante de Divæ Agathæ⁶²⁴ fano ; sunt in eo [13v] circuitu et Militiæ turris quem Bonifacius VIII condidit, et Turris Mesa vulgo nuncupata, quia dimidiata sit, nonnulli putant ex ornamentis templi Solis quod eo in loco fuit esse.

Extat ibi palatium familiæ Columnensium. Non longe hinc est ecclesia Sancti Apostoli in qua sepultus est Bessario Græcus, hoc epitaphio :

Bessario Episcopus Tusculanus. S. R. E. Cardinalis Patriarcha Constantinopolitanus, nobili Græcia ortus. oriundus(ue) sibi vivens posuit. Anno Salut(is) M.CCCC.LXVI.

Τοῦτ' ἐ[σ]τὶ Βησσαρίων ζῶν ἄνυσ[σ]α σώματι σῆμα, πνεῦμα δὲ φεύξειται (sic) πρὸς Θεὸν Ἀθάνατον.

Vix lapidis jactu a Divæ Agathæ templo Constantini thermæ fuere, quarum maxima vestigia adhuc extant. Prope has thermas duo equi ingentes hodie videntur ex marmore facti, qui et nomen monti Quirinali dederunt : vulgus enim eum montem “Caballum” vocat. Ex inscriptione constat alterum Praxitelis, alterum Phidiæ opus esse. Non longe hinc est pulcherrimus hortus cardinalis Ferrariensis. Habet enim hic collis amœnissimos ac delicatissimos hortos, inter alios tamen maximæ pulchritudinis et deliciarum hortus cardinalis de Carpi visitur, cum omnibus Romanis [14r] varietate atque mollitie⁶²⁵ certans, ubi et ingens numerus, ut nullo alio in loco, statuarum antiquarum, epitaphiorum⁶²⁶ omniumque antiquitatum, videre licet.

Non longe ab his hortis, a parte orientali, visuntur ruinæ domus Vespasiani, quod veteres Malum Punicum dixere, extendebatur per eum locum Alta Semita.

621 B : duobus mille.

622 B : hic *deest*.

623 B : vitosque.

624 A : de Agathæ.

625 B : mollicie.

626 A : epithaphiorum.

Progrediendo hinc versus portam Salariam est Divæ Susannæ templum, prope quod fuit forum Sallustii⁶²⁷, nec adeo procul hinc domum habuit et hortos amplissimos atque celebres maxime in ea valle⁶²⁸ fuere, quæ est prope portam Salariam.

Totum autem id spacii ad portam Salariam et inter hortos Sallustianos⁶²⁹ continebat olim Campum Sceleratum, in quo Vestales virgines stupri damnatas vivas defodiebant.

Prope portam Pincianam aliquando Collatinam dictam, quæ nunc sequitur, obeliscus Lunæ dicatus humi jacens spectatur, in quo Ægyptiacæ⁶³⁰ quædam notæ quas hieroglyphicas⁶³¹ vocant signatæ videntur.

Restat nunc collis Hortulorum qui aliquando et Pincianus dictus fuit, hodie Hortaliam passim nominant, quia nil aliud quasi quam hortos contineat. Fuit hoc in colle Domitiorum⁶³² seu Neronis, ut quidam volunt, sepulchrum.

Fuit et Solis templum in hoc colle, id vero ibi volunt fuisse [114v] ubi in collis vertice, prope mœnia, ingens ædificium hemicicli forma quod quidem parum a ruina abesse videtur conspicitur.

Nec procul hinc Trinitatis est ædes, a Ludovico XI Galliæ Rege extracta.

Ad radices hujus collis est templum Divæ Mariæ Populi et porta Populi de quibus superius dictum.

At nunc finem imponamus urbis Romæ.

V

[114v] Perscrutatis nunc iis antiquitatibus et splendoris Romani vestigiis atque umbra quam

brevissime quæ in urbe ipsa visuntur, et ea quæ extra urbem undique conspiciuntur inquirere maximi esset laboris.

Attingam tamen duo loca, Ostiam scilicet et Tybur præcipua apud veteres olim magni nominis et splendoris, nostro sæculo antiquitatum monumentis non obscura.

Ostia oppidum hodie viginti duobus millibus passibus a Roma⁶³³ distans, antiquissimum, non longe ab ostio et faucibus Tyberis fluvii, unde et nomen traxisse videtur, haud eo in loco ubi olim prout ruinæ veteris Ostiæ docent, exiguo inde distantes spacio situm, ubi et vestigia aquæductuum perampla conspicere licet.

Extruxit in eo Julius secundus Pontifex castrum munitissimum. Oppidum enim nec munitum nec populo propter æris malam temperiem frequens est. Plurima in eo antiquarum inscriptionum epitaphiorum et variarum antiquitatum monumenta [115r] conspiciuntur,

627 AB : Salustii.

628 A : vallae.

629 AB : Salustianos.

630 A : Aegyptiacæ.

631 AB : hieroglyphicas.

632 B : Domitiarum.

633 A : a Romana.

2000 passibus ab Ostia portus Romanus est, in ruinis Antii urbis extractus, hodie portum Trajani vocant, quod ab eo restauratus fuerit, verum Claudius primum eum construxit.

Secatur enim nunc hic locus a quodam cornu Tyberis atque inde Fluvium vocant. Scribit Suetonius :

Claudius tria passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absoluit ægre, et post undecim annos quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus, portum Hostiæ extruxit, circumducto dextro sinistroque brachio, et ad introitum profundo jam solo⁶³⁴ mole objecta, quæ quo⁶³⁵ stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus congestisque pilis supposuit altissimam turrin in exemplum Alexandrini phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.

Hac tempestate et turris et quicquid olim fuerat tanta impensa molitum, fluctuum motu atque agitatione paulatim consumptum attritumque corruisse videtur in dumis, quibus refertissimus densissimusque est locus, pervetusti lapides marmoraque visuntur, hujusmodi ut ad urbem ædificandam satis sint, magnitudine adeo incredibili, ut admirationem moveant intuentibus, [115v] quod eo tantæ moles invehiri potuerint. In horum marmorum duobus lateribus notæ extant, quibus partim (Plinio asserente) pondus, partim numerus lapidum significatur, prout quisque⁶³⁶ mercator misisset.

Revertendo ab Ostia Romam 4000 passibus ab urbe extat⁶³⁷ sepulchrum antiquissimum Marci Antonii, prout inscriptio docet, marmore cum fascium, insigniis⁶³⁸ et secure insculpta.

Superius in Roma de porta Divi Laurentii dictum est, a qua Tyburtina via initium sumens, Tybur nos ducat, 16 000 passibus ab urbe distans.

Urbem egredienti ad primum lapidem occurrit templum Divi Laurentii, de quo superius narratum est. Inde 3000 passibus, Mammeus pons in Aniene a Mammea Alexandri Imperatoris matre instauratus, et ab Antonino⁶³⁹ Pio quondam extractus, vulgo "Mammolum" appellant. Habet et Anio⁶⁴⁰ et alios præter hunc tres pontes, quorum unus a Narsete eunucho⁶⁴¹ instauratus, prout inscriptio satis proluxa docet, fuit :

IMPERANTE D(omino). N(ostro). Piissimo ac Triumph(ali). semp(er). Aug(usto). Iustiniano P(er)P(etuo). an(no). XXXVIII. Narses vir gloriosiss(imus) ex præposito sacri palatii, ex Co(n)s(ularibus) atq(ue) patricius post victoriam Gothicam. ipsis eor(um) Regibus celeritate mirabili conflictu publico superatis atq(ue) prostratis, [116r] libertate Urbis Romæ, ac totius Italiæ restituta, pontem viæ Salaris usque ad aquam, a nefandiss(imo) Totila tyranno

634 B : sole.

635 B : quam quo.

636 A : quisquam.

637 B : extas.

638 B : insigniis *deest*.

639 AB : Antonio.

640 AB : Amio.

641 A : eunucho.

destructum (*sic pro* : destructum). Purgato fluminis alveo in meliorem statum quam quondam fuerat renovavit posuitque. Carmina :
 Quam bene curvati directa est semita pontis,
 Atque interruptum continuatur iter.
 Calcamus rapidas subjecti gurgitis : undas
 Et libet iratæ cernere murmur aquæ
 Ite igitur faciles per gaudia vestra Quirites
 Et Narsim resonans plausus ubique canat
 Qui potuit rigidas Gotthorum subdere mentes
 Hic docuit durum flumina ferre jugum.

Non longe a Tybure est et alius pons nominatus Lucanus, cum hac inscriptione :

T. Plangio.⁶⁴² Fani Silvano Æliano pontif(ici). sodali Aug(ustali) III VIR(o). A(uro). A(rgento). A(ere). F(lando).⁶⁴³ F(eriundo). Q(ui). TI(berii). Cæsaris Legat(o) V. in Germania. Pr(æfecto) Urb(i) Legat(o) et Comiti Claudii Cæsaris in Britannia Consuli Pr(o) Co(n)s(uli) Asiæ Legat(o) Præt : Mœsiæ in qua plura q(uam) centum millia trans Danubium ad præstanda tributa [u6v] cum⁶⁴⁴ conjugibus ac liberis et principibus aut Regibus suis transduxit, motum orientem Sarmatar(um) compressit, quamvis parte magna exercitus ad expeditionem in Armeniam misisset.

Prope hunc pontem visitur moles rotunda, Plautiorum fuisse sepulchrum pulcherrimæ inscriptiones et epitaphia ibidem edocent.

Progrediendo per viam Tyburtinam, 5000 passibus fere a Tybure ad latus septentrionale, in radicibus pene montium Tyburtinorum, est lacus⁶⁴⁵ exiguus sulphuræ aquæ, in quo insulæ complures visuntur, quæ ventorum vi flatuque hinc inde natantes moventur ac pelluntur, mirum certe dictu, egomet exiguam quandam ascendens, tanquam in scapha cum fuste oram lacus legebam, sulphurea aquæ natura quæ terræ materiam ac pondus rodit atque⁶⁴⁶ consumit, spongiosam eam reddens, ad natandum aptam efficit. Sunt et plurimi non longe inde fontes Maximiani, vim hujus sulphuræ aquæ scaturientes, inter quos et aqua Albunea de qua Vergilius libro 7 :

Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
 Consulit Albunea nemorum⁶⁴⁷ quæ maxima sacro
 Fonte sonat scæphamque⁶⁴⁸ exhalat, opaca mephitim

Sunt et fontes qui Albulæ dicuntur, de quibus Martialis :

642 A : Blangio. M.

643 A : E.

644 B : cum *deest*.

645 B : locus.

646 B : ac.

647 B : memorum.

648 B : scaephiamque ; *sic pro* : saevamque.

Itur ad Herculei⁶⁴⁹ gelidas qua Tyburis arces
Canaque Sulphureis Albula fumat aquis. [117r]

[*in marg.* : Tybur]

In montibus vicinis sita est inter rupes saxosas Tybur urbs, a Virgilio nominata Tybur superbum, vulgo⁶⁵⁰ Tioli. Fuit et aliquando nominata secundum Strabonem Herculeum, quod maximo in honore Herculis sacrum ibi habebatur, cujus hodie adhuc templum rotundum pulcherrimo ordine 20 columnarum striatarum ornatum est, peristilium capitibus boum cælatum undique visitur, Herculi Saxano olim sacrum, quod inscriptio pulcherrima in foro muro inserta ostendit.

Ibidem et tres statuæ deorum Ægyptiorum ex lapide rudi sculptæ conspiciuntur. Sed quid mihi dicendum de admiranda stupendaque Amenis (*sic pro* : Anienis) fluvii cataracta quæ⁶⁵¹ per saxosas rupes horrendasque specus et antra undique per urbem horrendo strepitu et clamore in subjectam vallem devolvitur⁶⁵²?

Ad radices urbis ruinæ ingentes villæ Manlii (*sic pro* : Manilii) Vopisci visuntur de qua Stadius plurima scribit. A meridionali latere incredibiles reliquæ et ruinæ villæ Tyburtinæ ab Hadriano conditæ conspiciuntur, stuporem profecto et admirationem injiciunt consideranti qualia ædificia et quam superbæ structuræ fuerint, continebat etenim et theatra, circos, thermas, prata, lucos, fontes amœnissimos nihilque quod luxus requirebat desiderabatur. Quod facile ex ejus miranda [117v] amplitudine stupendisque ruinis conjicere licet, cujus adhuc portam et introitum in arcus triumphalis formam extractam in pratis conjunctis videre licet.

In superiori parte, Hadriani Imperatoris statua facie adhuc incorrupta equum assistentem habens. A latere, leo marmoreus et augurium, marmore sculptum. Spartianus amplam de hac villa habet mentionem.

Sed hæc de Tyburto dicta sufficiant. Quanquam plurima hac in regione, et⁶⁵³ locis vicinis, Alba, Tusculo reliquisque, cum de locorum amœnitate et fertilitate plurimos enim lucos olearum continet⁶⁵⁴, tum de antiquitatum monumentis et vestigiis dicenda essent. Sed his omissis, quis enim finem harum rerum inveniat ?

Romam revertamur, atque iter Neapolitanum instituamus. Taceam enim hos populos, has urbes quæ olim apud Romanos et anteacto sæculo florentissimi atque maxime famosi fuere, de quibus et historiographi undique⁶⁵⁵ peramplam habent mentionem, quorum nostro sæculo quorundam vix nomen cognitum⁶⁵⁶, aliquorum perexigua⁶⁵⁷ extant vestigia, reliquorum vero ruinas et monumenta intueri licet. Ingens etenim hæc regio et planities

649 B : Hercules.

650 B : vulgum.

651 AB : qui.

652 AB : devovitur.

653 B : e.

654 B : habet.

655 B : undique *deest*.

656 B : conditum.

657 B : peregrina.

quæ Capuam quasi extendebatur, HERNICOS, Equicolos, Marsos, Gabios, Oscos, Volscos⁶⁵⁸ complectebatur. Quid de urbibus Præneste, Tybure, Valeria, Tusculo, Signia, Verulo, Ferentino, Anagnia, Aritia, Alba, Priverno, Velitris, Formia, Fondii, Caieta, Terracina, Lavinio [118r] et Laurento⁶⁵⁹ dicendum, quarum aliquæ et nobilissimæ et potentissimæ fuere olim, aliquæ vix nomen et memoriam nudam ad nostrum usque sæculum retinuerunt, deflendo mehercule fato, quarum famosissimarum urbium, vix vestigia hodie invenire liceat, olim potentissimarum⁶⁶⁰ atque fortium populorum, nunc serpentium et ferarum duncetis obsitum domicilium.⁶⁶¹

Iter ex Roma Neapolim :

De Roma a Valmontone⁶⁶²

24 millia

Apud Romanos olim dicebatur *Labicum oppidum*, in colle amœnissimo situm, apud historicos⁶⁶³ antiquos non obscuri nomine⁶⁶⁴, a Plinio etenim vina in territorio Labicano nata nobilissima æstimantur.

De Valmontone a Anagnia

12

A quibusdam olim Anania, ab aliis Anagnia dicta, a Strabone maxime hæc urbs celebratur, et Vergilius eam divitem nominat :

Hernici (*sic pro* : Hernica) saxa colunt, quos dives Anagnia pascit.

De Anagnia⁶⁶⁵ a Fraselone

12

Ab antiquis *Frusinum* dictum ; dicit enim Silius :

Atque duro Frusino haud imbellis aratro.

Non longe hinc⁶⁶⁶ Cosa fluvius⁶⁶⁷ præterlabitur.

De Fraselone a Ceperano

10

Non longe hinc distante spacio, in valle quadam perampla, exigua conspicitur arx, quæ fines Latini et Neapolitani regni dirimit. [118v]

De Ceperano a Ponte Corvo

8

Olim *Fregellæ* hoc oppidum nominabatur

De Ponte Corvo a la Frata

8

De la Frata al Trætto

8

658 A : Volcos.

659 A : Laurenso.

660 B : potent[ium].

661 B : domicilium.

662 A : Valmontane.

663 B : historios.

664 B : nominis.

665 A : Anagna.

666 A : Longe hinc.

667 B : fluvis.

Hoc in loco olim *Minturnæ* urbs nobilissima fuit, cujus adhuc vestigia et ruinæ manifestissimæ visuntur, apparent etenim⁶⁶⁸ rudera amphitheatri et aquæductus superbissimi.

Est hodie trajectus Garigliani fluvii, a veteribus *Clavinus* (*sic pro : Claninus*), et *Liris* et *Glaucius* (*sic pro : Glanicus*)⁶⁶⁹ nominatus, de quo Martialis :

Cæruleus nos Lyris amat, quem sylva Mariice⁶⁷⁰

Protegit hinc Scyllæ (*sic pro : squillæ*) maxima turba fumus (*sic pro : sumus*).

Secundum progressum Liris fluvii non longe a faucibus fluvii olim Ausonia fuit urbs, unde et mare Ausonium et tota Italia nomen traxit, et Vestina urbs nobilis et Fretale, quarum hodie nec vestigium ullum extat.

[*in marg. : Campania*]

Constituebat olim hic fluvius terminos Latii et Campaniæ, hoc enim in loco Campania initium sumit, vulgo dicta « Terra di Lavoro. »⁶⁷¹

Plinius eam Campaniam foelicem nominat, propter foelicitatem et abundantiam omnium rerum, non enim solum frumento, vino⁶⁷² et fructibus nobilissimis fertilis est, sed et admiranda miracula naturæ thermas, fontium saluberrimorum copiam, antra summam opem medicinæ fumantia⁶⁷³, montes sulphure ardentis, lacus tepidos, ut nulla alia orbis terræ pars [119r] continet. Livius aliique narrant pulcherrimam et excellentissimam hanc esse orbis regionem, eo quod habeat subtilissimum et delicatissimum ærem et mira varietate omnium rerum abundet. Cicero in orationis⁶⁷⁴ suis dicit : “At enim ager Campanus, hac lege amittitur, orbis terræ pulcherrimus.” Montes et colles vino nobilissimo fertilissimos continet, Gaurum, Falernum, Massicum, Vesuvium, et sylvas olearum, lucos arantiorum pomorum et cedrerum. Sed quid recensenda ingentia antra et spelunçæ cavernæque in visceribus montium, sumptuosissima ædificia et testudines pulcherrimæ extractæ, quæ naturam mira arte æmulantes, ingenium quoque⁶⁷⁵ rarum et curiosum, ad admirationem et stuporem merito producunt ? Verum in specie nunc⁶⁷⁶ ea solum, quæ ipse perscrutatus sum tractabo, atque iter institutum progrediar.

Del Trætto a la Rocca di Monte Dragon

10

Oppidum hoc extractum est in loco ubi olim urbs *Sinuessa* fuit, cujus ruinæ adhuc non longe hinc visuntur. Conspiciuntur in oppido horti principis de Stillano, cujus et imperio subjectum, mira pulchritudine et amœnitate fructuumque copia consiti. In iis etenim pulcherrimo ordine parietes et deambulacra cedris et arantiis tecta, lucos myrteos, sylvas

668 B : enim.

669 B : Gluncius.

670 A : Mariici.

671 B : Lavarò.

672 A : vino *deest*.

673 A : flumantia.

674 B : orationi.

675 B : quodque.

676 A : num.

laureas, fontium delicias reliquaque magna cum admiratione et jucunditate conspiceret licet. Apparet hic prope mons Gaurus⁶⁷⁷, ab aliquibus dictus [119v] Massicus vel Gallicanus, maxime nobilis ob fertilitatem vini habebatur, de quo Vergilius plurimis in locis⁶⁷⁸ facit mentionem :

Sed grandi fruges et Bacchi Massicus humor.

De la Rocca a la Torre della Patria

15

Est trajectus hoc in loco Clavii fluvii, qui exundans lacum sive paludem efficit, vulgo dicitur *il Lago della Patria* ; Silius libro 7 :

Hinc Linterna palus stagnisque palustre Linternum.

Nominat Linternam paludem, quod *Linternum* urbs eo in loco fuerit, cujus solum ruinæ prope turrim Patriæ visuntur.

Apud antiquos scriptores maxime est famosa, eo quod Scipio Affricanus in ea exilium voluntarium propter ingratitude Romani populi peregerit, cujus et sepulchrum sumptuosissimum Linterni fuisse narrat Livius in hoc epitaphio :

Devicto Hannibale, capta Carthagine, et aucto

Imperio hos cineres marmore tectus habet (*sic pro* : habes).

Cui non Europa, non obstit (*sic pro* : non obstitit) Africa quondam

Respice res hominum quam brevis urna præmat (*sic pro* : premit).

Quantquam et aliud sepulchrum Romæ habuerit, verum in eo non conditus fuit : narrat enim Valerius Maximus Scipionem, cum ex hac vita migrare deberet, dixisse :

Ingrata patria ne ossa quidem mea habes.

Hodie nulla vestigia hujus monumenti, sed ruinæ solum urbis Linternæ extant.

De la Patria a Neapoli

15 [120r]

Sed antequam de Neapoli urbe nobilissima mentionem habuero, de Pausilippo monte per cujus ima viscera aditus admirandus in Neapolim patet, dicendum est. Is enim 2000 passibus a Neapoli distans, fertilitate, vino et fructuum nobilissimorum copia famosus in itinere Romano atque Puteolano, impedimento quasi viæ locatus, ob meliorem commoditatem et æternum nomen et memoriam a Lucio Lucullo, alii a Cocceio volunt montem hunc admirando stupendoque labore ferroque per intima viscera, speluncæ in modum, perfossum atque cavatum fuisse ; per quam horrendam speluncam atque stupendum antrum inter summas tenebras via iterque Neapolim ad 2500 pedes, vel 1000 passus usque continuatur, in altitudinem ultra 12 pedes porrigitur. Strabo eam Speluncam nominat, Seneca affirmat se nunquam in longiore carcere nec obscuriori magisque horrendo

677 AB : Garrus.

678 B : in rebus.

loco fuisse. Olim undique fenestræ lumen splendoremque speluncæ præbentia fuere, verum jamdudum terræ⁶⁷⁹ oppletæ dumetis et serpibus coaluerunt, prout hodierno die conspici licet ; quare secure absque lesione volentibus transire, face lumineque accenso opus est, quod continuo in utroque aditu speluncæ in sacellis quibusdam illæsum conservatur. Plinius et Strabo peramplam de ea habent mentionem, vulgo la Grotta di Napoli vocant. [120v]

Affirmant plerique Virgilium principem poetarum supra antrum eamque partem speluncæ quæ Neapolim respicit, sepultum fuisse. Dicit enim Servius :

Sepultus est Vergilius⁶⁸⁰ prope Neapolim.

Apparent adhuc prope monasterium quod ibi extat, ruinæ monumenti cujusdam rotundæ formæ, verum nil certi inde colligi potest. Famam itaque hac in re judicanda sequi necesse est ; aiunt enim epitaphium id quod ipse vivus condidit, ab Hispano cardinale quodam eo in loco olim⁶⁸¹ abstractum inque Hispaniam translatum fuisse ; quod hæc verba continebat :

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc

Parthenope. Cecini pascua, rura, duces.

Quod et Sannazarius poeta suo monumento testatur qui in villa Mergelina, loco amœnissimo, quam in libro suo De partu Virginis summopere celebrat, exiguo ab hoc loco spacio (ad littus enim maris in radicibus Pausilippi montis, qui quasi promontorium in mare extenditur) mirajucunditate et delitiis in sacello perpulchro quod ipse ex testamento religiosus quibusdam legaverat, monumento marmoreo pulcherrimo⁶⁸², atque sumptuosissimo hoc cum epitaphio conditus est :

Da sacro cineri flores, hic ille Maroni

Sincerus Musa proximus ut tumulo. [121r]

Vixit annos 72, obiit anno 1530⁶⁸³

[*in marg.* : Neapolis]

Sed nunc Neapolim eundo a fauce ipsius cavernæ, quæ vulgo dicitur *la Grotta di Napoli* ad 2000 passus iter extenditur inter amœnissimos delicatissimosque nobilium Neapolitanorum hortos et delicias, et continua ædificia quæ sumptuosi suburbii forma Neapolim usque extenditur.

Quæ urbs nobilissima ad radices amœnissimorum collium in littore maris sita conspicitur ; dicta est a plerisque autoribus Neapolis, vulgo Napoli⁶⁸⁴, quanquam olim Parthenope dicta

679 AB : terra.

680 B : Vergilius *deest*.

681 A : olam ; B : clam.

682 B : pulchro.

683 B : D XXX.

684 A : Neapoli.

fuerit, a Syrene quadam⁶⁸⁵ quæ ob⁶⁸⁶ dolorem, quod Ulysem cantu mulcere⁶⁸⁷ non potuit, seipsam a rupe quadam hoc in loco ubi sita est Neapolis præcipitavit, de qua Silius libro 12 hæc cecinit :

Sirenum dedit una suum⁶⁸⁸ memorabile nomen
Parthenope muris Acheloiæ⁶⁸⁹, æquore cujus
Regnavere diu cantus, cum dulce per undas
Exitium miseris, caneret non prospera nautis.

Veni Neapolim 20 die Septembris, quo tempore Andreas Doria, Imperatoris classium præfectus, a persequendis navibus Turcarum, cum 50 triremibus⁶⁹⁰ quas galeras vulgo vocant, Neapolim in hyberna se contulerat, quamquam paucis post diebus solutis navibus Genuam usque ad stativa sua processit.

Est hæc urbs in loco amœnissimo cum ob summam salubritatem æris tum [121v] fertilitatem⁶⁹¹ omnium deliciarum sita, non enim locum me unquam vidisse memini, ubi major ornatiorque copia fontium scaturientium, ubi tanta diversitas⁶⁹² arborum, plantarum et fructuum ; ibi enim nihil⁶⁹³ aliud quam arantios, cedros lemonios, cyparissos, lauros, myrtos, palmas - quid enarrarem singula - videre licet, ubi arces munitiores, palatia ornata, majorem urbanitatem hominum, splendorem et luxum vestium. Quid dicam de nobilitate totius regni, quæ tota undique huc confluens, palatia et ædes possidet hybernoque tempore in urbe se continet, ubi maximis in deliciis ingens numerus ducum, principum, marchionum, comitum, baronum, equitum et nobilium in dies visitur, talis luxus, splendor et copia hominum quod aliquot Regum aulas semper in ea degere crederes ?

Est et ornata Neapolis academia famosissima a Friderico II Imperatore privilegiis dotata. Habet portus duos quorum major *il Mole* dictus pulcherrimus, ingenti sumptu et splendore extractus.⁶⁹⁴

Tria castra munitissima continet : Castrum Novum, *il Castello Novo* dictum, ad littus maris prope portum, murorum crassitudine et munitionum robore nulli Italiæ arci facile cedit, primum a Carolo Andegavensi extractum, inde ab Alfonso Aragonio in hodiernam formam redactum est. [122r]

E regione, in ipsius fluctibus maris quæ rupem eam undique cingunt, situm est secundum castrum robore haud contemnendum, *il Castello de l'Ovo*, a similitudine ovi quam habet dictum.

Tertium in rupe præcipiti urbem undique prospicit, situ mehercule et munitionibus inexpugnabile, a Carolo V Imperatore indies magis magisque admirando opere sumptibusque

685 B : quodam.

686 B : ob.

687 A : muliere.

688 AB : tuum.

689 B : Achelosas.

690 A : trirennibus.

691 B : fertilitate.

692 B : diversitatis.

693 B : nil.

694 B : extractus est.

munitur, vocant il Castello di San Martino. Fuit et quartum in urbe Capuanum, prope portam Capuanam⁶⁹⁵, in quo causas hodie agere pro tribunali moris est⁶⁹⁶.

Quatuor sunt porro prætoria in urbe, Capuanum, *di Nido, della Mongagna (sic) et di San Georgio*⁶⁹⁷, vulgus *Li Seggisedes* vocat, in quibus nobilitas constitutis temporibus convenire deque⁶⁹⁸ rebus publicis agere solita est.

Ecclesia cathedralis Divo Laurentio dicata, vulgus eam *lo Episcopio* nominat, ante quam ordo quidam columnarum seu antiquissimus, ut conjicitur, portus visitur cum⁶⁹⁹ græca Tyberii inscriptione quod templum Castoris et Pollucis dicitur fuisse.

Ædes Sanctæ Claræ cum monasterio a Regina Agnete consorte regis Roberti ædificata, in qua et ipsius Regis et variorum Regum Neapolitanorum monumenta et sepulchra videre licet.

Templum Sancti Dominici, in cujus sacristia, ut loquuntur, asservantur cineres Alfonsi I Regis Aragoniæ et Neapolis, [122v] Ferdinandi I filii sui, Ferdinandi 2, Isabellæ ducissæ Mediolanensis, Ferrandi Daulos⁷⁰⁰ marchionis Piscariæ, militis strenuissimi variorumque aliorum heroum.

Templum monasterii Montis Oliveti pulcherrimum, in eo conspicitur effigies vera Ferrandi Regis I et Alfonsi II docta manu picta. Est et ibidem sepultus Alexander de Alexandris jureconsultus.

Ecclesia Sancti Joannis cognomento in Carbonaria supra cujus altari principi sumptuosissimum Ladislai Regis extat monumentum.

A latere duo pulcherrima extant sacella, in quorum uno Nicolaus Carracciolus⁷⁰¹, olim regni supremus marescalcus, superbissimo artificiosissimoque ex candido marmore sepulcro conditus est.

Prope xenodochium Divæ Mariæ Annunciationis⁷⁰² extant⁷⁰³ epigraphi græcum de Vespasiano Imperatore. Inde non longe fons aquæ limpidissimæ conspicitur, qui maximo impetu duorum pene capitum crassitudine prosilit, mirum enim in modum : ut superius dictum, fontium amœnissimorum scaturientium copia urbs ista abundat.

Sed nunquam finem si templa, ædes⁷⁰⁴, monasteria, palatia⁷⁰⁵ undique per urbem omnia mihi enarranda essent attingerem. Habent enim principes, habet superba nobilitas palatia, sumptuosas ædes, delicatissimarum rerum hortos abundantes, quorum pene numerus mehercule infinitus. Sunt tamen mihi [123r] privatæ quædam ædes et horti qui reliquos splendore, sumptu et deliciis antecedunt enarrandi.

Est etenim palatium ducis de Gravina, quanquam nondum absolutum, sumptuosissimum.

Ædes principis de Salerno, structura rustica, ex ingentis quadratis lapidibus conspicuæ.

695 A : Capuanam *deest*.

696 A : mori est.

697 AB : D. S. Georgio.

698 A : de quam.

699 A : portus visitur cum *desunt*.

700 A : Dacilos.

701 B : Caracoialus.

702 B : Annuncciationis.

703 B : extat.

704 A : ades.

705 AB : palatiae.

Palatium principis de Magdelone.

Palatium principis de Stillano, in quo et horti incredibili amœnitate deliciarumque fontium aquæ vim undique per hortos rigantium copia, pulchritudine admiranda stupendaque arte conspicui. Sed quid dicendum de reliquis hortis marchionis de la Valle, in quo 4 fontes pulcherrimi ? Hortus⁷⁰⁶ de Don⁷⁰⁷ Garzia de Toletto amœnissimus decem fontibus ornatus.

Hortus marchionis de Vico reliquique quorum ingens numerus ; loca mehercule tantarum deliciarum propter varietatem⁷⁰⁸ arborum nobilissimorum mira industria accidentequæ naturæ, favore consitorum ; aquarum limpissimarum susurrantium⁷⁰⁹ gratoque murmure profluentium copia fontium eam evomentium pulchritudinem et sumptum, quod⁷¹⁰ quidam plurima millia florenorum sumptum superent, tantæ pulchritudinis, tantæ amœnitate quod nomen paradysi terrestris merito mereantur. Nil enim quod deliciæ omnes humani generis optare queant in iis desideratur, unicuique qui ea oculis non complexus fuerit, haud credere, eam mente complecti proque dignitate tantopere imaginare posse putem.

Non itaque mirandum est si olim hanc in regionem tot senatores [123v] et nobilitas Romana animum suum injecerint, unicum deliciarum omnium domicilium, nostroque sæculo tot principes et nobiles sedes suas⁷¹¹ fixerint.

Visitur et Neapoli palatium et horti amœnissimi viceregis Neapolitani, quod Petrus de Toletto quondam hujus regni præfectus maximis sumptibus extruxit, cujus et monumentum marmoreum, ingenti arte structura, incredibilis pulchritudinis in hortis conjunctis visebatur. Tunc temporis enim cum Neapoli eram, nondum erectum fuerat. In foro, vulgo *il Mercato* dictum, extat sacellum exiguum ; quo in loco Corradinus⁷¹² Rex, ultimus ducum Suæviæ ab Andegavensi qui ex Gallia⁷¹³ a Pontifice vocatus prælio separatus⁷¹⁴, capite plexus fuit.

Extra mœnia urbis ædes quædam conspiciuntur, vulgo vocant *la Cavallaria del Re*, in quibus Regis equi, nobilitate cæteris excellentiores æducantur ad omniaque officia a magistris ad id deputatis instruuntur atque docentur.

Excellet⁷¹⁵ enim omnes alias hæc regio in proferendis equis nobilissimis qui robore, animositate agilitateque reliquos facile excedunt, nullamque esse præter hanc quod ausim affirmare nationem, quæ tantum studium, industriam et diligentiam in edocendis equis impendat.⁷¹⁶

Extra portam Capuanam⁷¹⁷ quæ ex candido marmore magno sumptu et arte, triumphalis arcus in formam, Carolo V Imperatore, cum ex bello Africano rediret extracta, mille [124r] passibus ab urbe situm est palatium nobilissimum, *il Poggio Reale* dictum, a Ferdinando

706 AB : hortos.

707 B : Djon.

708 A : varietate.

709 B : susurrantium.

710 B : quod *deest*.

711 B : suos.

712 A : Coradinus.

713 A : Galli.

714 B : a Pontifice prælio vocatus, prælio separatus.

715 B : Eccellet.

716 A : impendant.

717 A : portam Campuanam.

Rege extractum, a Gallis Neapolim obsidentibus magna ex parte dirutum ; fuit mehercule locus amœnissimus in cujus hortis amplissimis ingens copia et multitudo fontium visitur, quorum unus in canali marmorea ductus, latitudinem fere duorum passuum excedit. Aiunt omnes fere fontes in urbe ex hoc loco originem ducere.

Antequam ulterius progrediamur, dicendum mihi est aliquantum de Vesuvio monte, a quibusdam Vesevo dicto. Hodie nominant *il Monte de Somma*, qui inter orientalem et septentrionalem plagam Neapoli objectus conspicitur. Est vino undique fertilissimus excepto apice et summitate ejus quæ horrenda propter antra et voragines igne flammaque rupibus consumptis et depastis apparet. Sæpius enim incendia et conflagrationes stupendas passus est. In medio ejus est profundissima vorago, quæ viscera montis prout facile creditur penetrat, unde⁷¹⁸ ignis aliquando terrendo strepitu et horrore prosiliit. De quibus conflagrationibus plurimi autores mentionem faciunt.

Berosus enim Caldeus in quinto libro Antiquitatum affirmat penultimo anno Regis Arli septimi Regis Assyriorum, Italiam arsisse, plurimis diebus in tribus locis apud Istros, Cumeos et Vesuvios.

Titi præterea Imperatoris tempore, passus est horrendum incendium. Ait enim Suetonius :

Quædam [124v] sub Tito fortuita ac tristitia acciderunt, ut conflagratio Vesevi montis in Campania.

Quam conflagrationem Dion⁷¹⁹ Græcus quam diligentissime ac artificiosissime descripsit.

Periit in ea Plinius⁷²⁰, cum plus æquo curiosus in investigando hoc arcano naturæ esse vellet, quemadmodum Plinius Junior scribens ad Tacitum narrat.

Fuit et alia conflagratio anno Domini 1306 sub Imperatore Corrado quæ fluminum ex monte defluentium ignitorum plerosque⁷²¹ (?) favillarum speciem exhibebat.⁷²² Describit hunc montem elegantissime Martialis, 4 libro Epigrammatum :

Hic⁷²³ est pampineis viridis Vesuvius umbris

Præserat hic madidos nobilis uva lacus

Hæc juga quam Nisæ⁷²⁴ colles plus Bacchus amavit

Hoc nuper Satyri monte dedere choros.

Hæc Veneris sedes Lacedæmone gratior illi

Hic locus Herculeo⁷²⁵ nomine clarus erat.

Cuncta jacent flammis, et tristi mersa favilla

Nec superi vellent hoc licuisse sibi.

718 B : inde.

719 A : Bion.

720 B : Plinus.

721 A : plenosque.

722 AB : exhibebant.

723 AB : His.

724 B : Nysæ.

725 B : Hercules.

Et Silius 12 libro :

Monstrantur Veseva (sic pro : Vesuvina) juga atque in vertice summo

Depasti flammis scopuli, stratusque⁷²⁶ ruina

Mons circum, atque Æthnæ fatis certantia saxa⁷²⁷.

Intra Vesuvium⁷²⁸ et urbem Neapolim, 3000 passibus ab urbe visitur in littore maris locus amœnissimus la Pietra Bianca nominatus, ubi nympheum mira jucunditate [125r] fontium et imagines statuæque conchylis⁷²⁹ et lapidulis variorum colorum incrustatæ ac si pictoris manu delineatæ essent apparent.

Progrediendo nunc ultra Neapolim in itinere Puteolano, quæ ad promontorium Misenum omnique adjacente regione, mihi diligenti inquisitione perscrutata sunt, obiter adstringam. Fuit enim olim hæc regio populissima, quæ urbes potentissimas et pulcherrimas continebat Puteolum, Cumam, Baias et reliquas, fertilitate vero nulli secunda omniumque rerum et ad usum humanum et delicias abundantissimas, thermarum undique saluberrimorum copia referta. Romani itaque olim cum a senioribus⁷³⁰ reipublicæ studiis animum⁷³¹ eorum corpusque ad quietem conferre studerent, ad has delicias et hanc amœnissimam regionem se contulerunt.

Hodie plane deserta, ruinis plena, horrida et aspera conspicitur. Urbes enim miseram atque deflendam faciem ruinarum exhibent, superbissimorum palatiorum et ædificiorum vestigia tantum superesse nunc videmus.

Admiranda tamen hodie adhuc naturæ miracula undique prout dicemus præbet, quæ mehercule unicuique naturalium et singularium rerum studioso non contemnenda esse existimo.

A Neapoli itaque Puteolum eundo, quinque pene mille passibus a Puteolo, visitur aditus strictaque via vi ferro arteque facta, quæ ad lacum quondam⁷³² Anagnanum dictum ducit, per quam⁷³³ fissuram Lucius Lucullus aquam [125v] marinam in lacum conducebat. Habuit enim in eo loco Lucius Lucullus villam suam, cujus ingentes ruinæ adhuc hodie conspiciuntur. Lacus undique rupibus ingentibus cingitur, qui speciem naturalis amphitheatri præbere videtur, tantæ profunditatis, cujus fundum nullum unquam invenisse affirmatur, prout Boccatius in libro suo De lacubus testatur, nilque aliud quam ranas producit.

A parte meridionali lacus in radicibus rupium antrum conspicitur⁷³⁴ exiguum, quod quanquam haud profundum, pestiferum tamen exhalat ærem, cujus attactu subito omnia animalia mortua decidunt ; adest in antro meta posita cujus limites excedere tutum non est ; quod si animal id statim in lacu propinquo⁷³⁵ mergatur, vitales spiritus illico revocat, quod si ita relinquatur, nunquam ad vitam priorem redire solitum est, mirum certe dictu.

726 AB : fractusque.

727 B : saxo.

728 B : Vesum.

729 AB : conchulis.

730 B : severioribus.

731 B : anium.

732 AB : quendam.

733 A : per qu(am)dam.

734 A : conspici(untur) (sic).

735 A : propinquo.

Quod ipsemet cum cane adducto ex Puteolo probavimus. Vulgus vocat *il Bucco del Cane*, quia peregrinantes cum cane id miraculi experiri consuevere. Plinius hujus antri 90 (*sic pro* : 95) capitulo, libro 2, mentionem facit his verbis :

<Alii> spiracula vocant, alii Choroneas (*sic pro* : Charonea) scrobes mortiferum spiritum exhalantes.

Exiguo hinc distantes spacio sunt thermæ Anagnanæ⁷³⁶ a lacu propinquo sic dictæ, ubi exigua domicilia et casæ conspiciuntur, in quibus nulla aqua apparet sed per secretos cuniculos et spiramina terræ vapor [126r] quidam sulphureus pellitur, qui hominum corpora, illico resolvens sudorem maximo impetu elicit, quæ sudatoria diversimode diversam vim medicinalem distribuunt⁷³⁷, quædam enim spiracula mirum dictu capiti solum, alia pedibus, alia thoraci, atque alia alio quopiam membro commoda, quod nullum cum altero utilitatem communem, partisse videatur. Magisque præterea admirandum videtur in tam angusto spacio, unius lapidis jactu vix distantia, terram simul et saluberrimum⁷³⁸ vaporem et pestiferum exhalare spiritum. Vulgus has thermas vocat *le Fumerolle* vel *Sudatorii*.

Regrediendo ad viam Puteolanam apparet inde locus ubi villa Ciceroniana⁷³⁹ fuerat, qui hodiernum usque in diem nomen retinuit. Ibi Adrianus Imperator Baiis decedens secundum Spartianum sepultus fuit.

Ad hujus viæ septentrionalem partem visitur mons excelsus, monte Astruno dictus, in cujus medio peramplam⁷⁴⁰ continet faucem quæ in ambitu ad 3000 passuum extenditur paulatimque in descensum se constringens, aream strictiorem efficit, veram artificiosi amphitheatri exhibens figuram⁷⁴¹ ; existimandum est olim veteres modum et occasionem ab illis locis construendi eorum artificialia amphitheatra sumpsisse, cum multorum millium hominum capacia ad spectanda absque impedimento [126v] spectacula in area exhibita, occasionem optimam hæc naturalia præberent. Credendum etiam est cum hic tractus undique in visceribus terræ igne sulphureque repletus sit, violentiam illam ignis ut superioribus annis prope Puteolum accidit, de quo inferius mentio habenda, fortuito naturale hoc theatrum finxisse. Reges Neapolitani olim quam sæpissime hoc in loco tanquam in theatro populo spectacula exhibuere, in cujus area limpidissimæ aquæ fons transiens, locum amœnum efficit. Exiguo hinc spacio exiguum stagnum visitur prope quod thermæ saluberrimæ *il Bagno d'Astruno* dictæ.

Redeundo rursus ad meridiem ; vallis quædam occurrit in qua ex lapidibus proximis montium extractis indies ingens copia aluminis conficitur.

Occurrit deinceps ingens vallis *la Solfataria*⁷⁴² dicta, quod in ea sulfur conficiatur, de quo Plinius in 35 libro :

736 B : Anagnæ.

737 A : distrebuunt.

738 B : saluberrimum.

739 B : villa Ciceronia.

740 AB : peramplum.

741 B : formam.

742 B : la Solfataria.

In Italia invenitur sulphur, in Neapolitano Campanoque agro collibus qui vocantur Leucogabi⁷⁴³, quod e cuniculis effossum, perficitur igni.

Strabo Forum Vulcani nominat : est enim planities, ut ille ait, præaltis cincta alpibus quæ continuo tanquam fornaces ardere solent, exhalantes horrendo strepitu fœtitos atque sulphureos vapores ; secundum Plinium vocabantur hi campi ab antiquis Flegri (*sic pro* : Phlegrei), quod et Silius affirmat : illic, quos sulphure⁷⁴⁴ pingues, Flegrei legere sinus.

Admirando [127r] opere naturæ⁷⁴⁵ hic campus fictus visitur, planities etenim illa 1500 pedum longitudine, latitudine 1000, undique excepta ea parte unde ex Puteolo ingressus patet, collibus cingitur, area ex solido sulfure conspicitur quæ diversis in locis propter concavam sulphuream terræ materiam, per spiramina quædam vaporem calidissimam exhalat. In cujus angulo antrum stupendum atque horrendum fragore et strepitu extimescendo flammam sulphuream⁷⁴⁶ fœtidamque favillam cum fumo ingrato, continuo ejicit, ad 20 plusve passus, cavernam propter incredibilem fœtorem accedere non licuit.

Sub antro extat fossa quædam perampla, seu stagnum, quæ plena aquæ atræ⁷⁴⁷ et deformis, sine intermissione, summa vi, cum sulphureo fœtore bullire solita est. Stupendus mehercule atque extimescendus locus, qui veram Stygiarum paludum⁷⁴⁸ atque inferni domiciliique dæmonum faciem nobis exhibet.

Regrediendo in viam quæ Puteolum ducit, undique ingentes ruinæ conspiciuntur ; existimant plerique ruinas has olim ædificia urbi conjuncta fuisse, cum Puteolum olim amplissima et famosissima fuerit urbs, hodie in exigui oppidi redacta formam. Conspiciuntur et circum Puteolum aliæ ingentes ruinæ amphitheatri, aquæductus, viæ Appiæ reliquorumque ædificiorum reliquiæ. [127v]

[*in marg.* : Puteolum]

Puteolum inde oppidum in colle humili, ad littus maris situm visitur. In medio oppidi extat templum antiquissimum nostro sæculo Divo Proculo dedicatum, quanquam ob frequentes terræ motus quos hæc urbs sæpissime patitur, maxime ruinosum conspiciatur.⁷⁴⁹ Hæc tamen verba in frontispicio ejus leguntur :

CALPVRNIVS.⁷⁵⁰ L(ucii) f(ilius) templum Augusto cum ornamentis D. S. I.

Ex alia quadam parte hæc :

L. COCCEIVS L. C. Posthumi. L. Auctus Architecti.

743 A : Leucogati ; la leçon du ms. B est conforme au texte d'Alberti 1553 (par ailleurs erroné à cause d'une faute d'impression).

744 A : sulfur.

745 B : natarae.

746 A : sulphuream.

747 A : aquae terrae.

748 B : Stygiarum paludem.

749 B : conspicitur.

750 A : CALFVRNIVS.

Videntur et ibidem ossa gygantum, ingenti robore et magnitudine, quibus Pomponius⁷⁵¹ Lætus hos versus⁷⁵² dicavit :

Huc quicumque venis stupefactus ad ossa Gigantum

Disce cur Hetrusce sint tumulata solo.

Tempore quo domitis jam victor agebat Iberis

Alcides, captum⁷⁵³ longa per arva pecus

Collit Dicharcheæ clavaque arcuque Typhones.

Expulit, et cessit noxia turba Deo.

Hydruntum petiit pars, et pars altera Thuscos.

Interiit victus terror uterque loco.

Hinc bona posteritas immania corpora servat,

Et tales mundo testificatur avos.

Habuit olim hoc oppidum portum, mira commoditate et securitate famosum. De quo Strabo mentionem facit, cum arena Puteolana extractum fuisse, [128r] cujus arenæ natura, vis et incredibilis constansque tenacitas a plurimis autoribus celebratur. Dicit enim Plinius in 35 libro :

Quis enim satis miretur, pessimam ejus partem, ideoque pulverem appellatam⁷⁵⁴, in Puteolanis collibus opponi maris fluctibus mersumque protinus fieri lapidem unum⁷⁵⁵ inexpugnabilem undis, et fortiorem quotidie utique si Cumano misceatur cemento.

Hodie is portus partim marinis fluctibus et undis, partim incuria interiit. Videntur ad littus, in ipsis marinis undis, 13 ingentia lateritia fulcra seu columnæ quæ arcus pontis Caligulæ quem Baias⁷⁵⁶ usque in marinis ipsis faucibus extruxerat sustentabant, quæ directo ex contraria sinus parte Baiani⁷⁵⁷ responderent. Suetonius in vita Caligulæ Imperatoris hujus pontis mentionem facit his verbis :

Novum atque inauditum genus spectacula excogitavit. Nam Baiarum⁷⁵⁸ medium intervallum et (*pro* : ad) Puteolanos moles, 3600 fere passuum, ponte conjunxit contractis undique onerariis navibus et ordine duplici ad anchoras collocatis supertectoque (*sic pro* : superiectoque) aggere terreno, ac directo (*sic pro* : derecto) in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citroque commeavit biduo continenti. Primo die phalerato equo insignis, quoque quercia corona et cetra et gladio aureaque chlamide. Postridie quadrigario (*sic pro* :

751 B : Pomponis.

752 A : versos.

753 A : capta.

754 AB : appellatum.

755 B : unum *deest*.

756 A : Baius.

757 AB : Baianis.

758 AB : Baianum.

quadrigato) habitu, curriculo (*sic pro* : curriculoque) bijugi⁷⁵⁹ famosorum equorum præ se ferens Darium (*sic pro* : Dareum) puerum ex Parthorum obsidibus comitante prætorianarum agmine. Et in essedis⁷⁶⁰ cohorte amicorum. [128v]

Prope Puteolum hortus miræ pulchritudinis et amœnitatum conspicitur, quondam a Petro Toletano præfecto regni Neapolitani, quemadmodum inscriptio supra portam docet, constructus. In iisdem hortis locus terraneus miræ caliditatis in quem per plurimas scalas descenditur, cujus vapor subtilissima ilico sudorem elicit. Perlegendo littus Puteolanum undique balnea, seu thermæ, diversam vim tribuentia quædam enim calida, quædam tepida, quædam frigida conspiciuntur ; littus enim illud omnisque hujus regionis ora, mare etenim Baias et ad promontorium Misenum usque sinum constituit. Quæ olim tota regio, prout ruinæ hodie manifestissimæ ostendunt, undique urbis conjunctæ potius speciem ob summam frequentiam thermarum et copiam ingentium et nobilium ædificiorum, quam regionis cujusdam præbebat.

Quantquam ingens illa ruina et conflagratio anno Domini 1538 facta, splendorem omnem pene⁷⁶¹ ingentemque numerum thermarum superbissimorumque ædificiorum deleverit atque consumpsit.

Septembre etenim mense, prout incolæ narrant, plurimis diebus terræ motus ingentes atque extimescendos⁷⁶² passi sunt, cum fragore et strepitu æris terribili. Terra, apud Tripergolam – sic enim thermæ quædam nominabantur – fauces suas atque hiatum aperuit ingentemque primum copiam flammarum et ignitorum lapidum inde [129r] cum maximo fumo et calligine, acervos terræ et saxorum evomuit ingentemque hunc montem, quem novum vulgus appellat, ex hac congerie constituit, qui in altitudinem ad tria pene passuum millia porrigitur. Populi urbesque vicinæ, nil certius quam novissimam diem expectantes, magno cum pavore et admiratione ea miracula naturæ intuebantur.

Affirmant vi atque impetu ventorum et turbinis saxa ad 26 000 millia ultra⁷⁶³ Neapolim perlata fuisse. Interiere⁷⁶⁴ hac in conflagratione ingens multitudo hominum, pecorum, oppidorum et villarum, consumpsit et magnam partem lacus Averni et Lucrini, mare ipsum extrocedere cœgit, cum haud contemnenda admiratione mehercule et pavore, reliquiæ hujus incendii, scopuli igne depasti, acervi cinerum sublimisque montis figura intueri datur. In summitate apiceque vorago conspicitur quæ, theatri formam imitans, paulatim semper se constringens, aream in imo efficit in qua aqua limpida fumum semper exhalare sulphureum conspicitur.

Progrediendo ab hoc monte, in littore occurrit sinus Lucrinus, a quo per fossam in lacum Avernum aqua inducebatur, quam clades Tripergolana prorsus obduravit. Frequentissima apud bonos autores de hoc lacu mentio habetur, maxime auratæ conchæque ex hoc sinu laudantur, a Martiale et Plinio 54 capitulo libri noni : [129v]

759 A : bii jugi.

760 AB : in essedo.

761 B : pene *deest*.

762 A : extimiscendos.

763 B : 26 ultra.

764 B : Interiore.

Non omnis laudem (sic pro : laudes) præciumque (sic pro : pretiumque) <de> Aurata meretur
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus

et alibi :

Ebria Baiano veni modo concha Lucrino.
Nobile nunc sitio luxuriosa garum

et Vergilius 2 libro Georgicarum :

An memorem portus ? Lucrinoque addita claustra ?
Atque indignatum⁷⁶⁵ magnis stridoribus⁷⁶⁶ æquor ?
Julia, qua ponto longe sonat unda⁷⁶⁷ refuso
Tyrrenusque⁷⁶⁸ fretis immittitur æstus Avernis ?

Sed antequam sinus Baianus totaque hæc maritima⁷⁶⁹ ora aggredienda erit, de lacu Averno et antro Sibyllæ Cumanæ mihi dicendum est ; proximo enim loco ad occidentem hic locus⁷⁷⁰ situs de quo plurima poetæ fabulati sunt ; quidam eum vocant et paludem Acherusiam⁷⁷¹, Vergilius frequentissime de ea habet mentionem, præcipue 6 libro dicens :

Unum oro, quando hic inferni janua Regis
Dicitur, et tenebrosa palus Acheronte⁷⁷² refuso.

et Silius octavo libro :

Hinc vicina palus, fama est Acherontis⁷⁷³ ad undas
Pandere iter
et cætera.

Erat enim olim Plutoni dicatus, propter caliginosum et horrendum situm inter scopulos et sylvarum tenebras, quæ olim [130r] eum cingebant⁷⁷⁴ undique, cum et undæ⁷⁷⁵ coloris sit aterrimi, atque deformis, foetidum et sulphureum effundens vaporem ; secundum enim Nonium Marcellum dictus est Avernus a mortali odore volucris, nulla⁷⁷⁶ etenim avium impune propter vaporem pestiferum exhalantem supervolare poterat, quin mortua in eum incideret⁷⁷⁷, quod affirmat Lucretius libro 6 :

765 AB : indignantem.

766 AB : stridentibus.

767 AB : unde.

768 A : Tirrenus quod.

769 A : maritina.

770 A : lacus.

771 A : Arburusiam.

772 A : Ancheronte.

773 A : Ancherontis.

774 A : cingebat.

775 B : unda.

776 B : nullae.

777 A : inciderent.

Principio quidem, Averno vocatus est⁷⁷⁸, nomen id a re impositum est, quia sunt avibus contraria cunctis.⁷⁷⁹

Vergilius libro 6 : Inde ubi venere ad fauces grave olentis Averno
Tollunt se celeres.

Sequitur inde :

Quam super haud ullæ poterant impune volantes.

Tendere iter pennis talis sese halitus atris

Faucibus effundens supera ad convexa ferebat.

Unde locum Graii duxerunt (*sic pro* : dixerunt) nomine Avernum (*sic pro* : Aornon).

Erat olim ad lacum fons semper aqua pluviali impletus ex quo propter religionem nemini sumere fas erat.

Existimabant enim eam aquam infernalem esse eamque ex Flegetonte et Acheronte originem sumere.

Fuit itaque eo in loco extractum oraculum prope quod Cimerii populi in cavernis et speluncis proximis et sylvis caliginosis, quorum densa erat copia, habitare soliti erant. Qui caliginosus⁷⁸⁰ et horrendus situs⁷⁸¹ majorem superstitionem religionis præbebat. Ad placandas manes infernales Ulysses Elpenorem⁷⁸² et Æneas Misenum socios sacrificaverunt hoc in loco. [130v]

Narrat Bocatius in libro lacubus suo tempore regnante Roberto⁷⁸³ Rege Neapolitano inventam esse ingentem multitudinem piscium in littore, quorum caro nigredine oppleta, sulphureum atque fœtulentum odorem emisisset. Judicarunt plerique ex recenti sulphureæ cujusdam venæ ebullitione interemptos undamque eos in ripam ejecisse.

Ad orientalem lacus plagam, in radicibus rupium, ruinæ antiquissimi templi cujusdam rotundi conspiciuntur, quod Herculi olim Baulo sacrum fuisse affirmant. Baulus tanquam Boaulus a bobus, quos interempto Geryone ex Hispania hunc in locum advexerat, dictum fuisse affirmant.

Cornelius Tacitus narrat Neronem, cum astu matrem Agrippinam necare voluisset, se eam in villam Bauli invitasse. Et Silius 12 libro : et Herculeos videt (ipso *omitt.*) in littore Baulos. Hortensius orator pulcherrimam hic habuit piscinam, in qua et murenæ erant ; eas tantopere adamabat, quarum cum una, teste Plinio 50 capitulo libri 9, mortua esset, parum abfuisse quin lachrymaretur narrant⁷⁸⁴. Ibidem et Drusi Antoniam murenam amasse narrant

778 B : vocatur.

779 A : cuventis.

780 B : quorum densa erat copia, habitare soliti erant. Qui caliginosus *desunt*.

781 B : ritus.

782 AB : Elpenorum.

783 B : Ruberto.

784 AB : narrat.

ideo quod effigiem imaginemque ejus ex auro dependere auri solita erat. Unde in tantum murenarum fama creverat⁷⁸⁵, quod plurimos ad spectandum eas eo loci alliciebat.

Narrat Suetonius a Nerone prope Avernum mirabilem piscinam inchoatam⁷⁸⁶ fuisse, his verbis :

Incohabat piscinam a Miseno ad Avernum lacum contectam porticibusque [131r] conclusam quæ (sic pro : quo) quicquid totis Baiis calidarum aquarum esset committeretur (sic pro : converteretur).

De fossa⁷⁸⁷ quam ex Averno Ostiam usque inchoavit⁷⁸⁸, subjungit :

Fossam ab Averno Hostiam (sic pro : Ostiam) usque, ut navibus (nec tamen mari iretur) longitudinis CLX⁷⁸⁹ milliaria (sic pro : milia) latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent, Nero incepit.⁷⁹⁰

Apparet ex altera lacus parte, inter spinas⁷⁹¹ et vepres, angustissimo aditu, antrum et cavernæ Sybillæ dicta, de qua Vergilius libro 6 :

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sybillæ
Antrum immane petit.

Sequitur inde :

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum
Unde ruunt totidem voces responsa Sybillæ.

Subjungit deinde :

Talibus ex adito dictis Cumæa⁷⁹² Sybilla
Horrendas canit ambages, antroque remugit
Obscuris vera involvens.

Agathius, 1 libro belli Gotthici, hujus antri mentionem facit his verbis :

785 B : Unde in tantum murenarum fama creverat *desunt*.

786 B : inchoatam.

787 A : Cossa; B : fossan.

788 B : incohavit.

789 A : 160 et M [oo delet.].

790 Ces deux derniers mots sont ajoutés par Alberti.

791 B : stinas.

792 AB : Cumaena.

Spelunca erat utrinque potentior ac profunda penitissimisque⁷⁹³ et amplissimis penetralibus voraginibusque⁷⁹⁴ immensis in abrutum descenderat ; hanc ferunt⁷⁹⁵ Sybillam Italicensem illam [131v] et Magnam incoluisse. Quæ Phœbo capta, et spiritu divino instincta, petentibus futura prædiceret. Siquidem et Æneæ Anchisæ filio⁷⁹⁶ tradunt se adeunti omnia prædixisse, quæ illi essent in posterum occursura.

Variæ habentur de hac spelunca opiniones : quidam enim olim Cimerios populos eam inhabitasse affirmant, quibus futura prædicere mos erat ; alii Sybillæ Cumanæ domicilium fuisse, quod et Vergilius affirmat ; alii fossam et speluncam viamque subterraneam a Cocceo ex Cuma Baias usque factam cavatamque, quod doctiores plerique affirmant, fuisse volunt.

Antrum ipsum aditum strictum continens, in flexuosos undique porticus et testudinum in modum deambulacra, in viscera ipsa intimaque montis incisa se volventia, mille penitus⁷⁹⁷ spiracula nec fenestras lumen præbentia continet. Volenti itaque antrum adire, face accensa opus est, quam ex Puteolo, cum omnis regio hæc vasta incolarumque⁷⁹⁸ vacua sit, adferre oportet. In intima antri parte, exigua cameratio conspicitur. Sybillæ Cumeæ habitaculum fuisse affirmant. Videntur parietes adhuc undique musivo opere, corallis matricibus margaritarum variisque nobilibus marmoribus insignes, ostendunt hujus ornamenti reliquiæ, sumptuosissimum atque ornatissimum hunc locum fuisse. Ostendunt non longe hinc et sacellum quoddam exiguum, in quo aqua semper calidissima conspicitur, oraculi locum seu vaticinalem sive oratorium Sybillæ fuisse volunt. Subtilissima undique per antrum calor, maxime hoc in sacello [132r] ilico sudorem ex corporibus humanis elicit uberrimum.

Ego mehercule, cum hæc loca⁷⁹⁹ diligentissime perscrutarer, brevi temporis spacio in sudorem tam copiosum quod vestimenta ipsa penetraret, ac si in lacus undas immersus fuissem, effusus fui, miranda mehercule opera et naturæ et artis, quæ curiosum et sagax quodque ingenium non immerito ad stuporem et admirationem producit.

Ruinæ famosissimæ urbis Cumarum ingentes aliquot mille passibus ab Averni parte septentrionali, adhuc spectantur, in colli quodam sublimi, olim superbissima ædificia et palatia, hodie murorum ruptamina et vepribus, spinisque obsitæ reliquiæ, deflendum mehercule spectaculum. In medio urbis in collis vertice templum sumptuosissimum Apollini sacrum fuit, cujus ruinæ adhuc videntur. Meminit ejus Vergilius libro 6, cum dicit :

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sybillæ.

Redeundo nunc ad littus marinum, quod littus sinus Baiani dicitur, inter rupes thermæ quædam et sudatoria, asperrimis in locis propter ruinas nobilissimas, olim ædificiorum quæ ibi fuerunt, quod reliquiæ manifestissimæ edocent, sita sunt ; taceam de iis ædificiis quæ

793 B : poenitissimisque.

794 A : voraginibus quam.

795 A : fuerunt.

796 A : Anchisæ filii.

797 AB : penitus ; sic pro pene ?

798 B : incolamque.

799 B : cum loca.

mari submersa, quorum ingentes et incredibiles ruinas in ipsis fluctibus et undis marinis intimisque faucibus sereno atque tranquilli mari conspiceri licet.

Nominabantur hæ Thermæ [132v] Baianæ, quod Baiis propinquæ essent, a medicis dictæ Silvanæ a Silva Dea, vocant hodie *il Bagno de la Nave*⁸⁰⁰, quidam *Bagni di Tritoli*, alii Ciceronis thermas appellant, quod Bocatius affirmat, eas in villa Ciceronis Academia nominata fuisse. Est locus thermarum scaturientium testudinea forma pulcherrimus, elegantissimus undique ut hodie adhuc apparet sculpturis ornatus fuit. Thermarum harum aquæ quarum plurimæ interiere, cursum Lunæ imitantes, secundum diminutionem ejus unica viæ diei⁸⁰¹ scaturire solitæ sunt.

Ascendendo rupem per aliquot gradus, arte manūque spelunca cavata visitur, altitudine pedum sex, latitudine quinque, quæ⁸⁰² tortuosa ambagæ intima rupis adit. Est in ea adeo subtilis atque vehemens calidus vapor ut nemini propter calidissimum halitum erecto corpore ingredi liceat, quin statim ob maximam vim caloris non solum sudore copioso profluat, verum in vertiginem periculosumque defectum aliquem animi incidat. Quibusdam etiam in locis speluncæ interioribus vaporem illum calidum et subtilissimum facum lumen extinguere ceramque in iis liquefecisse ipsemet compertum habui. Volenti itaque secure et sine molestia ingredi (sic enim solent qui infirmitatibus oppressi ad hæc loca confugiunt, miram enim vim variorum morborum pellendorum⁸⁰³ hæc sudatoria continere [133r] omnes medici affirmant) prono atque clivo corpore quadrupedum more propter humi frigiditatem quam præbet incedere ac serpere oportet. Vulgus has thermas *Sudatoria* seu *Fumerollæ* vocitare solitus est.

Sunt et præterea aliæ thermæ similiaque antra sudatoria hoc in littore, quorum finem si singula attingere velimus, vix invenire⁸⁰⁴ liceat. Verum propter copiam his omissis, progrediendo hoc in littore sinus Baiani, devastata urbs olim nobilissima Baiarum occurrit, cujus hodie nil reliqui præter ruinas et ædificiorum fundamenta conspiciamus ; partim in rupibus, partim in littore, partim in ipsis faucibus et undis marinis, incredibiles et ingentes ruinæ deflendo fato terræ motu quassatæ et dejectæ conspiciuntur.

Celeberrima undique apud autores hujus jam demortuæ urbis mentio habetur, quod certæ ruinæ atque vestigia non obscure indicant, quæ stuporem mehercule intuentibus movere⁸⁰⁵ solent, eam et amplissimam et pulcherrimam fuisse, quod et affirmare Horatius videtur :

Nullus in orbe sinus⁸⁰⁶ Baiis præluet amœnis.

Videntur et in ipsis marinis undis aliquot pergrandes columnæ latericiæ, pontem Caligulæ⁸⁰⁷ arcibus conjunctis de quo superius in Puteolo mentio habita est sustinebant.

800 B : Mane.

801 A : viae dici.

802 B : quæ *deest*.

803 B : pellendum.

804 A : inveniri.

805 B : injicere.

806 AB : locus.

807 AB : Caliculæ.

Eæ directo atque contrario situ iis quas Puteoli conspiciere diximus oppositæ sunt. Inter ipsas ruinas [133v] urbis Baiarum, Carolus V Imperator arcem munitissimam ad tuendam ab incursionibus et pyratris (quæ frequentes in hoc loco incidunt, cum omnia undique incolis et habitatoribus desolata loca hæc conspiciantur), hanc oram maritimam⁸⁰⁸ extruxit.

Initium sumit hoc in loco isthmus quidam qui ad promontorium Misenum usque pyramidis in formam paulatim se semper constringens ad 5000 passuum protenditur in latitudinem, ubi amplissimus est, totidem continet, a tribus autem lateribus mari alluitur. Continet undique undiqueque conspiciuntur quoque te vertas, et in ipsis intimis visceribus terræ admiranda monumenta et reliquias nobilissimorum ædificiorum quæ stuporem et admirationem tantam mehercule intuenti et consideranti copiam et magnificentiam ruinarum injiciunt, quantam⁸⁰⁹ fide nemini complecti, profecto qui ea oculis non viderit licet. Non enim⁸¹⁰ regionis amplissimæ sed urbis potius conjunctæ et ædificiorum connexorum speciem et formam nobis præbere videmus. Quod credendum sit, teste etiam Blondo, per Europam undique totam, Roma excepta, tot tantasque nobilissimorum ædificiorum ruinas haud inveniri.

Sed institutum iter progrediamur. Pergendo enim hinc ad promontorium Misenum, apparet opus ingens in visceribus intimisque penetrabilibus terræ extractum, a vulgo *100 Camerellæ*⁸¹¹, a numero exiguarum habitacionum seu camerarum, ut vocant, quas continet dictum, quarum [134r] introitus et portulæ humiles atque deprese conspiciuntur. Existimandum est fuisse olim castellum sive conservam, prout Romæ adhuc conspiciere licet, aquarum a Romanis prope eorum villas et palatia (quæ per quam splendida, his in locis propter amœnitatem regionis, ut sæpius dictum est, habebant) constructa, quorum in subterraneis locis undique plura hodie inveniuntur.⁸¹² Omnium tamen pulcherrimum et sumptuosissimum exiguo huic spacio visitur, a vulgo dictum *la Piscina*⁸¹³ *Mirabile*. Quaterno ordine columnarum conspiciuum, columnæ quadratæ ab uno quoque latere trium pedum latitudinem continent, quæ dimensione et proportione justa testudinis pondus in longitudinem 500 pedes, in latitudinem 220 extensum sustinent.

Quadraginta gradibus lapideis descenditur.

Opus mehercule mirandum hoc et sumptuosissimum secundum Blondum et Razanum in L. Luculli Baiano fuisse, credendum est. Facit enim Plutarchus in vita Lucii Luculli hujus pulcherrimi et sumptuosissimi palatii quod hoc in loco habuit mentionem cum Cnæus Pompeius et Cicero Lucium Lucillum in villa Lucullana convenirent.

Et Cornelius Tacitus de Tyberio Cæsare cum vitam finire vellet, in fine 5 libri hæc :

Mutatisque sæpius locis tandem apud promontorium Miseni consedit in villa cui L(ucius) Lucullus quondam dominus.

808 A : maritimam.

809 B : quantum.

810 B : et.

811 B : Camerallae.

812 B : visuntur.

813 B : Piscana.

Ab hoc loco transgressi Mare Mortuum – sic enim incolæ [134v] sinum seu lacum hunc vocitant – qui a Puteolano sinu progrediens olim multo majorem quam nunc continebat ambitum. Augustus enim Imperator, teste Suetonio, classem Miseni et alteram Ravennæ ad tutelam superi et inferi maris collocavit. Cujus præfecturam Plinius cum gereret in conflagratione Vesuvii montis interiit. Extant adhuc in ipsius⁸¹⁴ Maris Mortui undis viæ silicatæ reliquiæ quæ plurimum propter saxorum magnitudinem transgredientes impediunt. Reperiuntur enim vada quædam quæ ad promontorium Miseni iter dirigant. Sic nominatus hic mons a plerisque bonis autoribus, a Ptolomæo Misænus dictus. Nomen obtinuisse dicitur a Miseno socio Æneæ quem quidam defunctum, alii vero ad Avernum ab Ænea aliis manibus sacrificatum fuisse volunt. Antehac etenim manus æreus (*sic pro* : mons ærius) dicebatur, de quo Vergilius peramplam habet mentionem, libro 6 :

Præterea jacet exanimum tibi corpus amici.

Sequitur inde :

Quem socium exanimum vates quod corpus humandum
Diceret, atque illi miserum⁸¹⁵ in littore sicco.
Ut venere vident indigna morte peremptum,
Misenum Æoliden⁸¹⁶ quo non præstantior alter,
Ære ciere viros, Martemque accendere cantum⁸¹⁷
Hectoris hic magni fuerat comes.

Et paulo inferius :

Nec minus interea Misenum in littore Teucris [135r]
Flebant, et cineri ingrato⁸¹⁸ suprema ferebant.

Post plurimos versus in quibus modum sepulturæ describit, subjungit hæc :

At pius Æneas ingenti mole sepulcrum
Imponit⁸¹⁹ suaque arma viro remumque tubamque
Monte sub ærio qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.

Ab apice hujus montis, ad promontorium Minervæ usque, quod hodie Caput Minervæ nominant⁸²⁰, contrario situ Capræ insulæ locatum quod ad 54 pene passuum millia extenditur mare Mediterraneum sinum quondam⁸²¹ efficit quem antiquitus⁸²² Crateram a

814 A : ipsis.

815 A : Misenum.

816 AB : Colidem.

817 B : cantu.

818 B : ingrata.

819 AB : imposuit.

820 A : nominat.

821 AB : quendam.

822 B : antiquitas.

forma sic nominatum vocitabant, cujus littora olim urbibus, oppidis, villis, palaciis, thermis, theatris superbissimisque⁸²³ plurimis ædificiis referta, continuato connexoque quondam tenore conspiciebantur⁸²⁴ quorum adhuc hodie ruinæ et reliquæ urbis potius deletæ, quam regionis cujusdam amplissimam speciem præbere videntur.

Sed omissis his de Miseno promontorio rupibus, antris, cavatis speluncisque insigni mihi dicendum ; mirum enim dictu, quales quantæque cavernæ insignes, in ipsis montis visceribus inveniuntur, quæ montis concavi atque testudinata species⁸²⁵ admirando situ non contemnendam montis et rupium molem sustinet, quorum stupendorum mehercule ædificiorum maxima pars hodie corruisse videtur, præcipue tamen visitur ædificium subterraneum, [135v] vulgariter *la Grotta Tragonaria* dictum⁸²⁶ a Traconibus id est (?) meatibus seu cuniculis subterraneis, amplitudinis atque structuræ admirandæ, castellum seu conservam aquarum eundem et locum fuisse plerique existimant.

Fuit et olim in apice hujus promontorii turris peralta Farus nominata ad cujus lumen accensum noctu naves cursum suum dirigere solitæ erant.

Relicto promontorio Miseno, ruinæ viæ Atellanæ⁸²⁷ occurrunt quæ Puteolum revertendo Appiæ conjungebatur intra Cumarum urbis ruinas⁸²⁸ et lacum Avernum sita, conspiciuntur in ea maximæ perlongæque sepulchrorum antiquorum ruinæ quorum major pars illæsa, atque integra pene videntur reticulato opere atque frigeato pulcherrimis urnarum conservis et cinerum loculis eleganti ordine conspicua, quædam spinis vepribusque obsita difficilem aditum præbent. Interiori autem in parte illæsa atque integra videntur. Vulgus hæc⁸²⁹ sepulchra *il Mercato*⁸³⁰ vocare solitus est. Fabulantur enim singula sepulchra, quorum unumquodque plurimos loculos urnarum (patrifamilias etenim totiusque familiæ cineres continebat) complectitur singulorum mercatorum, qui nundinas eo in loco celebrare soliti erant fuisse domicilia.

